image
not
available

719.

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK
9000000035773

Digitized by Google

image
not
available

Hist

image
not
available

RVSSIA
ſeu
MOSCOVIA
itemque
TARTARIA
Commentario Topographico atque politico illuſtratæ.
LVGD. BATAVORVM
Ex officina ELZEVIRIANA.
Anno cIↄ Iↄc XXX.
Cum privilegio.

image
not
available

QVÆ IN HOC commentario continentur hæc ſunt:

RVSSIA.

I.

RVSSIAE topographica deſcriptio, è probatiſſimis autoribus compendio deprompta. pag. 1

II.

[...]cœlique qualitates; fruges, [...]que commerciis apta. 56

image
not
available

III.

De ingeniis & moribus incolarum. 63

IV.

Regimen politicum & civile. 79

V.

Reditus Principis, quibus rebus conſtent. 93

VI.

De moneta Ruſſica. 99

VII.

De militia Ruſſorum. 101

VIII.

De familia magni Ducis Muſcoviæ, & Principum ſucceſſione. 107

IX. *De*

IX.

[illegible] moribus. 164

X.

Magnus Moſcoviæ Dux. 165

*3 TAR-

image
not
available

TARTARIA.

I.

Excerpta è Michalonis Lituani fragmentis de moribus Tartarorum. pag. 189

II.

e Tartarorum origine, mori-
tam domi quam in bello, di-
na. E Thuano. 215

III.

actatus de Tartaris Praeco-
es, Cherſoneſiis, & Boſpo- 229

IV. *Mar-*

IV.

[illegible] Broniovii de Biezdz- [illegible], ad Tartarorum legati, Tar- [illegible] 254

V.

Excerpta quaedam ex Sabelli- [illegible] [illegible]

image not available

SVMMA PRIVILEGII.

I*Lluſtrium & Præpotentium D.D. Ordinum fœderatarum Belgiæ provinciarum decreto cautum eſt* Bonaventuræ *&* Abrahamo Elzeviriis, *Academiæ Leydenſis typographis, Ne quis præter illorum aut hæredum voluntatem toto decennio proximo, his in regionibus excudat, aut alibi extra provincias excuſum inferat vendatve librum hunc, cui titulus,* Ruſſia ſeu Moſcovia; itemque Tartaria: commentario topographico atque politico illuſtratæ. *Quod ſi quis contempta auctoritate, directe vel indirecte, librum hunc, totum, vel partem ejus, hoc ſive alio modo, extra dictum temporis intervallum typis mandare, vel impreſſum alibi in has oras inferre & vendere præſumpſerit; confiſcatione exemplarium, mulctaque inſuper ſexcentorum florenorum damnas eſto; uti latius patet in ipſo privilegio, dato Hagæ in conventu D. D. Ordinum Generalium,* IX *Iulij,* MDCXXX.

N. vander BOVCHORST V^t.

Ad mandatum Præpotentium D. D. Ordinum General. ſſ.

C. MVSCH.

image
not
available

Condoram, & magnam Siberiæ partem; cujus incolæ licet non ſunt Ruſſi, tamen parent Ruſſiæ Duci, illiuſque legibus vivunt, & tributa ipſi pendunt uti nativi illius ſubditi. præterea regna Caſan atque Aſtracan, itidem bello acquiſita. Tota hęc regio ingens terrarum ſpatium in longitudinem atque latitudinem occupat. Nam à ſeptentrione in meridiem, à Cola ad Aſtracan (quod regnum nonnihil declinat verſus ortum) patet in longitudinem verſtas ſive milliaria Ruſſica (quorum LXXXVII uni gradui comparantur) quater mille ducenta & ſexaginta: Et tamen Princeps Ruſſiæ adhuc grande terrarum ſpatium poſſidet ultra Colam verſus arctum & ad flumen Tromſchuan uſque; verum limitibus incertis, & jure pene controverſo inter ipſum & Sueciæ Daniæque Reges, quorum uterque varia loca ibidem poſſidet, & imperium totius ſibi vendicat. In latitudinem porro à finibus Livoniæ, & limite illius occidentali, ad Siberiam & limites remotiſſimos verſus ortum, circiter quater mille quadringenta milliaria Ruſſica occupat. Si vaſtæ hæ regiones ubique pari incolarum frequentia cultæ eſſent, Princeps hic haud dubio vicinos

omnes

image
not
available

autem primo verſus meridiem ad VVyezman; inde ortum petens Drohobum, Smolensko, Orſſam Dubrovvnam, & Michalouvv ſtringit; inde rurſus in meridiem ſe convertens, Kioviam Ruſſiæ olim metropolin, Circaſſosque adit; & tandem per campeſtria deſerta fluens, Oczakovv Tartarorum Perecopenſium oppidum & arcem, XL milliar. à Circaſſis attingit; indeque in pontum Euxinum tam vaſto oſtio exit, ut procul intuentibus freti formam referat. ſunt qui dubitant fluvium hunc non recte hodie Boryſthenem vocari; ſed Berezinam flu. (qui Boriſovv arcem alluit & in Dneper confluit) rectius à veteribus Boryſthenem appellatum.

III. Tanais, vulgo *Don*, (antiquis limes inter Aſiam atque Europam,) in Rezan Ozera oriens, ex lacu Ivvanovvo Lezioro (qui in latitudinem, ut tradunt, patet verſtas 10) primum recta per Tartarorum Perecopenſium agros verſus ortum labitur, & haud longo à flumine Volga intervallo & oppido Saniſſà, cubito ſe flectens, atque aliquot aliis amnibus auctus, in Mæotidem paludem prope oppidum Azoph deſcendit. Per hoc flumen ab urbe Moſcua Conſtantinopolin navigatur,

image
not
available

VII. Suchana, qui influit in Dvvinam,&amiſſo nomine una cumDvvina in mare arctoum ſe mergit.

VIII. Ocka, haud longe à Tartarorum Perecopenſium finibus exoriens; & Vorotiniam, Collugam,Cerpachum, Corſiram, Columam, Rhezaniam, Cazigorodiam,Murinamque præterlapſus, curſu in arctum reflexo, in Volgam deſcendit juxta Niſinovogorodam. Piſces nutrit lõge optimos. Ex ejus fontibus quoque oriuntur Sem & Soſna.quorum ille Senerenſem Ducatum præterfluit; oppidumque Potivolo alluens, in Diſnam flu. illabitur juxta oppidum Czernigovv, & cum Diſna infra Kioviam in Boryſthenem: Soſna autem per campeſtria Tartarorum curſu in orientem inſtituto à Tanai abſorbetur.

IX. Moskua, metropolin dividens, illique nomen communicans, deſcendit in Occam. Oritur autem in Tvverenſi provincia, ſeptuaginta fere milliar. Ruſſic. ſupra Moſaisko, à quo ad metropolin jam dictam XC milliar. numerantur: ſex autem mill. ſupra Moſaiſco navigabilis eſſe incipit.

X. VVichida, ampliſſimus amnis, qui in Permia oriens, Volgæ confluit; alii in Dvvinam deducunt.

Nunc

image
not
available

Kitaygorod. Huic proxime adjacet caſtellum, aut Regia, muris ab hac diviſa; appellaturque *Kremlenagrod*. Quæ duæ partes muro circumdatæ ſunt lapideo, nonnulla materie adjecta. Pars quæ ab oriente, ſeptentrione & occidente has cingit, *Tzargorod* dicitur, id eſt, Cæſarea civitas; muro cincta ex candido ſaxo, ſed terra aggeſta. Pars quæ has extra circumcingit, *Skorodum* nominatum, ſepem habet, ſine ulla terra. Pars hujus meridionalis, trans flumen Moſcuam ſita, alio nomine Strelzka Slaboda vocatur; quod à militibus inhabitetur, ſive prætorianis magni Ducis. hanc à Baſilio ædificatam ſcribit Fletcherus, & milites ibidem collocatos, privilegio ipſis indulto medonem etiam vetitis diebus bibendi; atque ea de cauſa hanc partem vulgo *Naloy* appellari; quod ipſorum lingua ſonat, *Infunde*. Cæterum ædes privatorum omnium ut plurimum ſunt ligneæ, paucæ admodum lateritiæ. Plurima ſunt templa, quorum nonnulla è ligno ſunt ſtructa: horum templorum principale eſt *Troyes*, id eſt, templum S. Trinitatis, ad quod palmarum feſto Patriarcha aſino inſidens à magno Duce introducitur. Caſtellum autem, in quo eſt

regia

image
not
available

habet ligneum; fuitque olim Ruſſiæ metropolis. Sita eſt inter Volgham & Occam flumina, CLXXV milliar. Ruſſica ab urbe Moſcua, ſive XXXVI mill. German. verſus ortum; agro adeo fertili, uti ex uno modio tritici ſæpe XX, nonnumquam & XXX colligantur. Alluit illam Cleſma fluvius. cætera magnæ vaſtæq; ſylvæ cingunt. Oritur hic fluvius IV milliar. Germ. à Moſcua, & ibi multis molendinis ſervit; infra VVolodimeriam ſpatio XII milliar. Germ. navigatur uſque ad oppidum Murom, ad Occæ ripam ſitum; & dein Occæ ſe conjungit.

Niſnovogorod.

NOvogardia, civitas ampla & lignea, cum caſtro, quod Baſilius ad Volgæ & Occæ confluentem ex lapide in ſcopulo ædificavit; diſtat à metropoli Moſcua pene CCCC mill. Ruſſ. verſus boream, & quinquaginta ſex gr. & XXX ſcrup. ab æquatore. Ager fertilitate rerumque copia VVolodimeriam æquat. Ad utramque autem Volgæ ripam degunt Ceremiſſi, qui Mahumeti ſectam ſequebantur tum quum Herberſteynius ſcriberet: Sunt autem duplices: nam qui trans Volgam verſus boream incolunt, Cere-

image
not
available

Occam & Tanaim fluvium. Objacet autem Moſcuæ provinciæ ad ortum, Aka ab illa diviſa. Hic principatus cæteris omnibus Ruſſiæ provinciis longe præſtat fertilitate; nam ager illius frumenti culmos tam denſe profundit, ut equi difficulter tranſire poſſint: præterea magna ibidem mellis, piſcium, avium, ferarumque eſt copia: arborum fructus quoque longe ſunt præſtantiores quam in reliqua Ruſſia. Incolæ audaces & bellicoſiſſimi. Principalis urbs, *Rhezan*, ad Occæ ripam ſita, & fere è ligno ſtructa: Occa fluvius non procul ab urbe inſulam facit, quæ Strup appellatur. Fuit quondam magnus Ducatus, Principemque habuit nemini obnoxium; nunc autem Ducatus hic Moſchico imperio acceſſit. Cætera oppida ſunt *Corſira*, ad ripam Occæ fluminis, oppidum item ligneum, XXVIII milliar. diſtans à Rhezan; quod & quondam Dominum habuit ſui juris; nunc Moſcho paret. *Tulla*, oppidum ligneum, XL fere mill. Polonic. à Regezan; XXXVI à Moſcua verſus meridiem. Baſilius Ioannis Magnus Dux hic caſtrum è lapide conſtruxit, ad ripam fluvii, qui idem cum oppido nomen habet; Vppa autem fluvius ab ortu

image
not
available

pos paſſim occupat. Severienſes Duces ſui juris fuerunt, ſed poſtea magnis Lithuaniæ Ducibus multos annos paruerunt. Polonis quoque, quum magnus ducatus, Iagelone baptizato, ad Polonos perveniſſet, tributum perſolverunt. Dein à Caſimiro Poloniæ Rege, magnoque Lithuaniæ Duce, Iagelonis filio, ad Ioannem magnum Ruſſiæ Ducem defecerunt. Sedes autem hujus Principatus erat in Novvogrodeck. Tandem hi Principes (prout alii multi in Ruſſia) perfidiæ innocenter accuſati, à Baſilio Principatu ſunt exuti. Civitates & arces in hoc ducatu ſunt complures, inter quas Novogrod, *Sieverski* dicta, Starodub, Potivolu, Czernigovv, & Bransko ſunt celebriores. Silvæ hermelis, aſpreolis, & melle abundant; agri quoque ſunt fertiliſſimi.

Novogrod Sivierski, urbs & arx lignea, olim ducum ſedes, diſtat à Potivolu & Starodub, ab una XVIII, ab altera XIV milliaria: à Moſcua per Colugam, Vorotiniam, Serensko & Bransko CL milliar.

Czernigovv, oppidum & arx, diſtat XXX milliar. à Kiovia: totidem à Potivolo.

Potivolum, urbs & arx lignea, diſtat

à

image
not
available

a Lithuaniam à Ruſſia divi-
yezma, oppidum & caſtrum
, ad ripam flu. ejuſdem no-
ui haud procul inde in Bo-
n illabitur; diſtat à Moſcua
,à Maſaysko xxvi, à Droho-
. *Mozaysko*, oppidum & ca-
ligneum; diſtat à Moſcua
ll. verſus meridiem; à VVyez-
hic Princeps Ruſſiæ quotan-
tur, præſertim lepores albos,
magna hîc copia eſt.

Bielskia Ducatus.

a principatus Ruſſiæ, quon-
ſui juris principem habuit;
nis Lithuaniæ ducibus, Ia-
filiis, (à quibus Baſilius, Prin-
lskiæ, ad Baſilium Ruſſiæ du-
cit, ducatumque totum illi
,) tributum pendebat. Nunc
ux titulum illius uſurpat. Ci-
ecipua *Byela*, cum caſtello, ad
u. Obſekæ in vaſtis ſylvis ſita,
illiar. Polon. à Moſcua, xxxvi
ensko, à Toropetz xxx ab-

Rſchovia Ducatus.

tus hic latiſſime patet, à Moſ-
verſus occaſum. Leporibus
albis

[illegible]

[illegible] Toropec, urbs & arx, [illegible] à VVyeliki Luki, ad [illegible] Ducatus Lithuaniæ.

Tvverſia Ducatus.

[illegible] Ruſſiæ provinciis [illegible] Tvveria, quam [illegible] interlabitur: in altera [illegible] caſtellum habet ligneum, [illegible] Tvvercza fluv. in Volgam

con-

image
not
available

confluit. civitas hæc monetam propriam habet argenteam, quæ valore Moſcovicæ æquatur. diſtat à Moſcua xxxvi mill. verſus occidentem æſtivum. Eſt & *Terſack*, oppidum x mill. Polon. à Tvveria diſtans; cujus olim dimidia pars Novogrodienſi provinciæ attributa fuit; altera Tvverienſi Ducatui; quem Ioannes Baſilides primum occupavit.

Pleſcovicenſis Ducatus.

AMpliſſima provincia, & ſui quondam juris, donec à Ioanne Baſilide anno CIƆ IƆ IX occuparetur. Metropolis illius Pleskovia, Ruſſis *Pskovv*, ad lacum Pskovvã ſita; ex quo ejuſdem nominis fluvius emergit, ac mediam urbem interluit, & ſex mill. emenſus in lacum Czuczko vel Czudzin ingreditur: per quem facilis in mare Balticum eſſet navigatio, niſi ſcopuli quidam non longe ab Ivvanovvgorod & Nerva caſtris in finibus Livoniæ impedimento eſſent. Hæc urbs, quod in Ruſſia rariſſimum, muro cincta eſt; dividiturque in quatuor partes, quarum ſingulæ muro cinctæ. Diſtat à Novogrodia magna xxxvi mill. verſus occaſum. Hæc civitas proditione ſacerdotum in Ruſſiæ Ducis

manus

image
not
available

& VVielikie Luki XL. Cætera oppida ſunt, *Ruſ*, oppidulum vetuſtiſſimum, XII milliar. à Novogrodia; præterfluit fluvius ſalſus, quem oppidani ampla foſſa in modum lacus coërcent, & ex aqua in ædes ſuas per canales derivata ſalem coquunt. Id oppidum ſuperioribus annis pene dirutum, &, quum olim ampliſſimum fuerit, uti è ruderibus apparet, nunc tantum tenuis eſt pagus, cum adjuncto caſtello, quod vocant *Starra Ruſſa*. *Ivanovv-gorod* arx, à Ioanne Baſilide (unde illi nomen hæſit) ad ripam Nervæ fluv. è vivo ſaxo ſtructa. Iuxta hanc arcem jacet civitas Nerva, Ruſſica dicta, ad diſcrimen alterius Nervæ quæ ad alteram ripam ex oppoſito jacet, quæ Livoniæ tribuitur. Vtraq; autem dicitur Nerva à fluvio qui ex lacu Czudzko effluit, &, Pskovva & Vielika Reka amnibus acceptis, has interluit, alveo bombardæ jactum lato, indeque in mare Livonicum ſe exonerat. *Iamnia*, caſtrũ XII milliar. ab Ivvanovvgorod, ad Pluſſæ fluv. oſtium, ſeptentrionem verſus. *Coporogia*, urbs & caſtrum IV milliar. à Iamnia, ad ripam fluvii ejuſdem cum urbe nominis. Hinc ſeptentrionem verſus XXV mill. per Oreſſek & Corellam urbes, ad Polnam fluvium per-

image not available

quam variæ nationes huc commerciorum cauſa venire cœperunt, qui antea Narvam petebant.

Vſtiugha provincia.

HÆc provincia Dvvinam provinciam concludit à meridie. Hæc regio olim Novogrodienſibus tributaria fuit; nunc Principi Moſco paret. Incolæ nullum panis habent uſum; piſcibus & ferina victitant; Idioma proprium habent, licet & Ruſſica lingua utantur. Salem è Dvvina provincia petunt. Omnis generis ferarum pellibus abundant, præcipue vulpinis nigris, quæ nonnunquam zebellinis æquiparantur. Zebellinorum pelles hic paucæ, neque admodum laudatę. Præcipua civitas *Vſting*, cum ſua arce, ad ripam Suchanæ fluvii condita. Vſtingh dicitur ab *Vſtia*, quod *Oſtium* Latinis denotat, & *Iugh* fluvio, qui ex meridie in ſeptentrionem labens, ad cujus confluentem in Suchanam primo ſita fuit, nunc ad dimidium milliare ſupra confluentem illius jacet.

Vologhda provincia.

PRovincia hæc inter orientem & ſeptentrionem jacet; tota paludoſa eſt & ſylveſtris, ita ut viatores difficulter

image
not
available

inditum. Patet lacus in longitudinem XIII milliar. Polonica, totidemque pene in latitudinem. Circiter triginta amnes recipit, & unum tantum Soſnam emittit, qui XV milliar. ſupra Yaroſlavv & IV infra Mologam VVolghę fluvii alveum ſubit. In hoc lacu arx jacet, natura loci munitiſſima, & inexpugnabilis credita, in quam Ruſſiæ Dux theſauros ſuos recondere conſuevit, & tempore neceſſitatis veluti ad aſylum ſe recipere. Regio pene tota paluſtris eſt, & ſilvoſa, ideoque & aditu perdifficilis, ita ut non niſi aquis glacie cōſtrictis, aut pontibus è transverſis arboribus ſtratis adiri poſſit. A lacu Bieleiezorio ad ſagittæ jactum alius jacet lacus, ſulphur copioſe proferens, quod fluvius quidam ex illo emergens, veluti ſpumam ſupernatantem devehit. Ejus præcipua urbs & arx *Bieleiezoro*, ad lacum ſupradictum ſita. diſtat à Moſcua C milliaria, & à Novogrodia magna totidem.

Iaroſlaviæ Ducatus.

PRovincia hęc ampla & fertiliſſima, præſertim ea parte qua Volgham fluvium contingit. Ducatus olim ſecundogenitis magnorum Ruſſiæ Ducum attribuebatur; in quorum progenie

image
not
available

xxx. *Chlopigrod* urbs, diſtans ab Vglitz 11 milliar. Polonica. hic frequentiſſimæ nundinæ celebrantur, ad quas Sueci, Livones, Lithuani, Tartari & aliæ nationes confluunt; rerum tantum permutatione hic utuntur. *Pereaslovv* urbs & arx ad lacum quendam ſita, xxiv milliar. à Moſcua, x à Roſtovia. Iuxta hanc lacus eſt è quo ſalem coquunt.

Susdalienſis Ducatus.

PRovincia hæc Roſtoviæ & VVolodimeriæ contermina eſt, olim inter præcipuos Ruſſiæ principatus habita, & ſecundogenitis magnorum Ruſſiæ Ducum attributa, quorum poſteris à Ioanne Baſilide in eumdem modum fuit erepta. Metropolis illius *Susdali* civitas & arx, in qua ſedes Epiſcopalis eſt. quondam totius Ruſſiæ metropolim fuiſſe volunt. Reliqua oppida ſunt: *Coſtromovvgorod*, urbs cum caſtro, ad confluentem Coſtromæ amnis in Volgam ſita, xx mill. à Iaroſlavia verſus orientem æſtivalem. *Galicz*, urbs & arx, quæ minori provinciæ nomen dedit, quæ ob crebras paludes, amnes, & denſiſſimas ſylvas pene invia eſt.

Viatka

image
not
available

à Ruthenicis habent diverſas, à Stephano Epiſcopo inter Sanctos à Ruſſis relato, qui hoſce ad fidem Chriſtianam convertit, inventas. Plurimi illorum nihilominus hodieque ſunt pagani & idololatræ, paſſim in ſylvis degentes. Hyeme traheis iter ſuper nives faciunt, quas aut canes aut cervi albi (quos in hunc uſum cicurant & domi alunt) ducunt. Pedites vero nartis ſuis (quemadmodum & in aliis plurimis Ruſſiæ locis conſuetudo eſt) celerrime ſuper nives feruntur. Sunt autem hæ nartæ, ligneæ ſoleæ, duos treſve cubitos longæ, quibus pedibus ſubligatis & baculo oblongo atque acuminato ſuffulti, tanta celeritate feruntur, & colliculos, truncos, foveaſque tranſiliunt, ut nullus equus, licet agilis, eos curſu conſequi poſſit: hocque modo feras omnis generis capere & telis configere ſolent.

Sibier provincia.

HÆc provincia ad Camam fluvium jacet, inter Permiam atque Viatkam; videtur urbib[9] & caſtris omnino vacua: Regio tota paluſtris & ſylvis opaca, & ob vicinitatem Tartarorum magnam partem deſerta. Indigenæ proprio idiomate utuntur: panis uſum

image not available

in mare glaciale ſe exonerat. ad utramque fluminis ripam jacent montes, quos Ruſſi Ziemnoipoias vocant, id eſt, cingulum terræ: quorum juga ob continuos ventorum flatus nihil herbidi ſortiuntur, ſed fere perenni nive rigent: creſcunt tamen ibidem ingentes cedri, circa quas nigerrimi zibellini reperiuntur: multæ quoque aves rapaces, præcipue accipitres albi, aucupio aptiſſimi, quibus Duces Ruſſiæ plurimum utuntur. Hos montes ab antiquis Riphæos & Hyperboreos dictos volunt. Qui Ruſſia Petzoram petunt, iis per Vſtingam, & Dvvinam, Permiamq; iter eſt. Incolæ huj⁹ regionis ſimpliciſſimi ſunt: Idioma habent proprium; & panis uſum ignorant: Anno demum CIↃ IↃ XVIII fide Chriſtiana imbuti & baptizati fuerunt. Ad oſtium fluminis ſitum eſt oppidum & arx Puſtejezoro. Vltra quod ſecus mare degũt Samoeidæ, qui Ruſſis Samogedz, id eſt, ſeipſos comedentes, appellantur: Hæ gentes advenarum conſortia fugiunt; avibus & feris omnis generis, adeoque pretioſis pellibus, ſupra modum abundant; & vicinum mare multis piſcibus fœtum eſt; & belluis quas *Mors* vocant Ruſſi; quarum dentibus utuntur

image
not
available

gritzchi populi, Ruſſiæ Principi obnoxii: qui varia genera animalium hic capiunt. In hac regione haud longe à fluminis oſtio viſitur idolum antiquiſſimum è lapide exciſum, celeberrimum in hiſce partibus, & quod hi populi ſumma veneratione adorant; *Zolota baba* Ruſſi vocant, id eſt, auream anum; habet enim ſimilitudinem anus infantem gremio tenentis, & alterũ juxta ſe habentis, quem illius nepotem dicunt indigenæ. Ab Obby fluvio à parte ſiniſtra aſcendendo, Calami populi in campeſtribus degunt, Ruſſiæ Duci tributum pendentes. Infra Obby fluvii oſtia complures ſunt amnes, Irtiſca, Bereſvva, Soſa, Tachnim, Danadim, & alii è montibus Ziemnoipoiis emergentes; quorum accolæ itidem Duci Ruſſiæ tributum pendunt. Hæc rerum facies fuit cum Herberſteynius legationem apud Moſcum obiret: poſtea Theodoro rerum potiente, circum flumen Obby aliquot arces à Ruſſis fuerunt exſtructæ, validis è nemoribus illic exciſis trabibus intertextæ, terraque oppletæ, & præſidiis communitæ; coloniæ eo deductæ, è Ruſſis, Tartaris, Polonis aliiſque nationibus mixtæ. multi illuc exules, homicidæ, alii-

que

image
not
available

tibus Coſſin fluvius oritur, qui in magnum fluvium Tachuim deſcendit.

Loppia Regio.

A Lucomoria ultra tendendo ſecundum mare glaciale Loppi populi agunt, barbarum & brutum hominum genus, qui incertis ſedibus vagantur, piſcibus & ferina victitantes, & panis uſum omnino ignorantes. Idioma proprium habent, & Ruſſiæ Duci tributum pendere dicuntur. Regio illorum frigidiſſima eſt.

Ceremiſsi populi.

CEremiſſi, Mordovotes, & Vachines, inter Viatkam & Vologdam provincias, vaſtas ſylvas ſine certis laribus occupant: magnam partem Pagani, quidam & Mahumetani; latrociniis & magicis artibus infames. Melle & ferina ut plurimum victitant. Durum hominum genus, & ſagittandi peritiſſimum. Ruſſis ſunt vectigales. Hi populi Volgam utrimque accolunt. quorum illi, qui dextram Volgæ ripam verſus arctum accolunt, Logovi agnominantur, à fœni ſtruibus; qui ſiniſtram & verſus meridiem, Nagorni, quod montana incolant.

image
not
available

edito monte adjunctam habens, & natura & opere munitam. Diſtat ab æquatore LV grad. & XXX ſcrupulis.

Aſtracan.

ASTRACAN urbs opulenta, magnumque Tartarorum emporium, decem dierum itinere infra Cazan, ad citeriorem Volgæ ripam ſita, & longe ſupra illius oſtia. Sita eſt urbs in inſula amnica, ad clivum montis, habetque arcem ligneo vallo ſeptam, quali & ipſa cingitur. Inſula hæc patet in longitudinem milliar. XII, in latitudinem III; diſtatque ab æquatore XLVII (aliis XLVI) grad. & X ſcrupul. Nullis arboribus, ac ne gramine quidem veſtita; ſolo effæto & quod frumentum maligne admodum producit: unde hic magna annonæ penuria; incolæ autem magna ex parte piſcibus vitam tolerant; quos paſſim in oppido ad ſolem & ventum ſiccant; unde tantus fætor prodit, ut aërem ipſum inficiat, qui hic hominum valetudini minus propitius eſt; & tantum muſcarum copiam generat, ut vix alibi tantam videre liceat.

Isi-

image
not
available

navigant. poſteà verò, compendii cauſa, properante videlicet aliorſum Nemo, ſarcinas ſuas ad unam dumtaxat leucam terra portandas curent neceſſum eſt. quo facto, *Wiſeram* devenitur, flumen è quibusdam rupibus *Ioëgoriorum* montium appendicibus profluens. eas Moſchi *Camenas* vocant. feruntur hinc novem continuos dies ſecundo VViſera, donec perveniant *Soil Camſcoy*; oppidulum refocillandis aliquantiſper viatoribus, terreſtri deinceps itinere perrecturis, ab Moſchis exſtructum. VViſera verò continuato aliquantenus curſu, tandem *Camo* ſe miſcet, *Viatcam* Moſcoviæ oppidum præterfluenti, & immenſo flumini *Rha*, quod & *Volga* dicitur, illabenti. qui quidem Volga LXX oſtiis exoneratur in mare Caſpium, ut ex iis accepi, qui coram id arbitrati ſunt.

Oppidum *Soil Camſcoy* mediocriter habitatum eſt, & pagis compluribus cinctum. Incolæ Ruſſi fere aut Tartari. Pecoris, & præſertim equorum, hic magna copia. Viatores itaque paululum recreati, ſarcinas ſuas equis imponunt, & per montes ferè contendunt, abietibus, pinis, & raris quibusdam arboribus conſitos. Traji-

ciunt

image
not
available

Vergateria primum eſt terræ Siberiæ oppidum, ac non niſi ante annos viginti & unum, (*ſcripta hæc anno 1612,*) una cum aliis aliquot oppidis, cœptum condi. Eſt autem & tectis mediocriter frequens, & coluntur hic agri, non ſecus quam in Moſcovia. Reſidet hic Imperatoris Moſcoviæ nomine Gubernator, qui magnam quotannis, initio ſtatim veris, frugum & annonæ copiam, in omnes præſidio militari munitas per univerſam Siberiam arces, fluminum via, diſtribuit. quin & Moſchis trans Oby degentibus eadem ſuccurrendum eſt via. nec enim adhuc ibi colitur tellus, & Samojedæ (ut diximus) ferina ut plurimum victitant. Secundo Toëra quinque dierum itinere devenitur *Iaphanim,* oppidum ante biennium ſtructum & colonis inſeſſum. Hinc rurſus feruntur ſecundo Toëra; & biduum ſic progreſſi, coguntur hoc flumen, ob anfractuoſos ejus meatus, ſubinde trajicere, quo videlicet faciant viæ compendium. Habitant jam in his locis Tartari paſſim & Samojedæ, pecuaria fere naviculariaque ſe ſuſtentantes.

Tandem relicto Toëra, ad ingens flumen *Tababum* deveniunt, ducentis

cir-

image
not
available

minibus, qui, quo longius pervagatur regionum iſtarum fama, eo frequentiores concurrunt. Vnde magna profecto redit ad Moſchos utilitas, qui tam placide ſubjugarunt has gentes, ut nihil ipſis nunc metuendum ſit, adeo eas ſibi habent addictas. Exſtructa ſunt inſuper paſſim templa & ædes ſacræ, in quibus Græca exercetur religio, quę apud Ruſſos aliosque ſeptemtrionis populos in multo uſu eſt, licet variis ſuperſtitionibus depravata. utcumque ſit, nemo illic invitus ad fidem cogitur, ſed adhibentur à Ruſſis omnia quædam remedia, quibus homines illi perſuadeantur, ac lucri fiant.

Sita eſt urbs *Toboſca* ad flumen *Irtim*, quod rapidiſſimo curſu, & ceu alter quidam Danubius, ab auſtro exortum, in Oby aquas ſuas evolvit, videturq; ex eodem cum illo tractu profluere. ab altera parte fluvius *Tobol* eſt, unde urbi nomen. In hunc influit flumen *Taſſa*, quod ab aquilone, & certis illic ad oram montibus, videtur profluere. ad hujus ripam Moſchi nuper oppidum condiderunt, *Pohemium* nomine, petitis è Siberia incolis habitatum, nō alia quidem de cauſa, quam quod agro cingatur eximie fertili, tum & perquam amœnis ſylvis, variarum fera-

rum avibus, pulcherrimarum, [illegible] hyænarum, vulpium, zibello- rum & caſtorum. Diſtat vero To- [illegible] decem vel circiter [illegible] ad aquilonē itinere. [illegible] à Tobolſca verſus Oby [illegible] ad quæ olim [illegible] oppidum [illegible] ſed poſtea, juſſu Gubernatoris Siberiæ dirutum: nulla quidem nunc addita cauſa, quam ego tamen ſuſpicor fuiſſe nimiam frigoris vehementiam, vel quod ipſum oppidum mari eſſet vicinius, quam ipſi vellent, metuerentque [illegible] inde ſuborirentur incommodi. [illegible] in quadam Oby fluminis in- [illegible] plus minus ſupra dirutum illud [illegible] oppidum condiderunt, cui no- men Zergolta.

[illegible] hinc adverſo flumine navi- [illegible] contractioribus utuntur velis, [illegible] languidum ſpirent venti, [illegible] altitudinem ripæ, adeo qui- [illegible] ut licet ampliſſimus paſſim ſit [illegible] tamen in eo funibus [illegible] eodem plane quo Moſco- [illegible] ſuperant modo.

[illegible] ſupra Zergoltam leucis [illegible] deveniunt, arcem tre- [illegible] annis exſtructam, quo [illegible] magnus Gubernator certo-

image
not
available

è Siberia homines eo dimiſerat, terras humano generi commodas atque oppidis exſtruendis idoneas indagaturos. Hanc igitur arcem tunc temporis condiderunt, & præſidio aliquo militum munierunt; tractu perquam amœno, ſalubri, tepido, fertili, & in quo maximus rara ſpecie beſtiarum & avium numerus. Arx ipſa ad euronotum ſita excrevit paullatim in civitatem. Cujus incolis fuit injunctum ut ad ulteriora tepidioraque loca pedetentim progrederentur, & candide ubique negotiarentur, obvios quosque populos benigne humaniterque tractantes, quo latius tandem regnarent, ac Ruſſicum nomen diffunderent. quare gregatim eo profecti, & ad quadringentas in mediterranea leucas progreſſi, pulchros quidem, ſed deſertos invenerunt terrarum tractus. Cum vero decem abhinc annis, ducentas adverſo Oby leucas progreſſi, incidiſſent in regionem non minus uberem quam amœnam, quæque & tepida admodum eſſet, & nullo plane laboraret incommodo, hieme nimis quam brevi, ac propemodum nulla: ſumſere hinc occaſionem in Siberiam revertendi, atque hæc in Moskoviam porro denuntiandi. Imperabat ibi

tunc

[illegible]poris Boris Goddenovius, [illegible] cum læto nuntio, rem [illegible] differendam cenſens, illico [illegible] dedit Gubernatori Siberiæ [illegible] quam mox curaret ibi con[illegible] Præſidi, Gubernatore, & [illegible] ipſa eſt ut una cum aliquot hominum: ideo ut [illegible] nunc urbs ſit. Cui nomen impoſuere Tzumna, eo quod intellexerint, magnam Tartarorum multitudinem eo loci olim conſediſſe, a quibus hæc urbs ſe etiam ſuas amœnitatem id nomen accepit. Dicebantur vero ii Tartari etiam tunc habere regem, nomine Altinum. unde factum ut [illegible] primum urbs multos diverſorum populorum in campis illis de[illegible] ſuſtinuerit. Nunc [illegible] potens eſt, ut ſucceſſu temporis videatur & hinc mediocre re[illegible] aliquod ſuccreſcturum. Cæterum [illegible] hanc Naximſcoiam, ur[illegible] atque Siberiam, Moſchi [illegible] quotidie detegunt in medi[illegible] habitantes populos, quo[illegible] Oſtiacbios nuncupant, [illegible], Samojedis & Ruſſis [illegible] corpus coaluere, amice [illegible]tes. multi apud eos [illegible], Indicis fere ſimiles. (de

image
not
available

minoribus loquor, non de majoribus Indiæ regibus.) Et ut paucis abſolvam, Moſchi in illo terrarum tractu tam magnos fecerunt progreſſus, ut merito nobis mirum videri debeat. Sunt præterea arces oppidaque complura inter Oby & Yrtim fluvios, eodem fere cum Tobolſca tempore condita, & jam lauta. quorum incolæ Moſchi, Tartari, Samojedæ, ex eorum genere quos cicures appellamus, aliorũ qui prorſus barbari ſunt adſpectu. Et inter oppida primum eſt *Tara*, quo loci decẽ fere dierum inter Oby & Yrtim intercapedo eſt. *Iorgoetum*, ante xv circiter annos exſtructum. *Beſobia* & *Mangan ſoiſcoigoratum*, utraque ſupra Iorgoetum ad auſtrum poſita, ad occidentalem vero fluminis Oby ripam incolæ magis magiſque in dies ſtudent progredi. Cis Oby ſitæ ſunt urbes *Tobolſca*, *Siberia*, *Bereſaia*, & quædam aliæ, ad diverſos fluvios conditæ. & exſtruuntur in dies plures. trans Oby ſunt *Narim*, *Toma*, & quædam aliæ, quorum incolæ vice equorum utuntur rangiferis, vel & canibus longe celerrimis, quos cum alio piſcium genere tum rajis in primis ſaginant, quod exiſtiment eo cibo vi-

[illegible] fluminis Oby exſtructum [illegible] vero & ſupra Narim [illegible] [illegible] flumen occurrit Tes, ad cujus ripam arcem ædifica[illegible] cujus præ[illegible] una cum Narimenſi[illegible] ripam, ab Gubernator Siberiæ [illegible] ad ortum tendere, & cuperet [illegible] rent ignotæ gentes, ſedulo indagare. Itaque decem vel circa hebdomadarum itinere per vaſta quædam deſerta progreſſi, multis per viam pulchris tractibus, multis ſylvis atque fluminibus occurrentibus, tandem magalia [illegible] in campis erecta, & una ho[illegible] quoſdam cœtus conſpicati ſunt. [illegible] cum ducibus utebantur Samojedæ & Tartari, locorum illorum periti, [illegible] timuerunt. Acceſſerunt [illegible] reverenter ac venera[illegible] per Samojedas Tartaroſq; ſi[illegible] Tingoeſios ſeſe vocari, & [illegible] magni fluminis Ieniſcea ripam [illegible] ab vulturno quidem ad[illegible] producere, ſed ignorare ſe [illegible]. Hi homines ſtrumis à [illegible] dependentibus erant defor[illegible] loquend[illegible]

image
not
available

re ab idiomate Samojedarum, qui & pleraſque eorum voces ediſſerebant.

Ieniſcea, fluvius longe quam Oby major, ab ortu habet excelſos montes, inter quos & ignivomos quoſdam, ſulphur idemtidem ejicientes. ab occaſu planum eſt ſolum & inſigniter fertile, ſtirpibus, floſculis & arboribus varii generis conſitum. multi quoq; in eo peregrini gignuntur fructus, magna avium rariorum copia. inundat campos ad LXX circiter leucas verno tempore Ieniſcæa, non ſecus, ut quidem nobis relatum eſt, quam Nilus Ægyptum: quod non ignorantes Tingoeſii, trans ipſum flumen & in montanis tantiſper agunt, dum id decreſcat; redeuntes deinde, & armenta ſua reducentes ad plana.

Tingoeſii, gens mire humana, Samojedarum inſtinctu, ſubjecere ſe illico hiſdem à quibus illi regebantur Gubernatoribus, quos reverebantur nu ceu quoſdam deos. quod autem numen, & quo ritu id colant, incertum eſt, neque ſciri hactenus potuit, Moſchis negligenter nimis in hæc talia inquirentibus.

Neque mirandum deinceps, ſi fretum VVaygats obſtruatur quotannis ad

ad [illegible] tam immenſis e glacie [illegible], cum & Oby & Ieniſcea, & [illegible] inter hos, quorum acerva[illegible] [illegible], fluvii tam co[illegible] [illegible] via, ut omnem [illegible]. Fit etiam initio [illegible], ut in locis mari vicinis glacie [illegible] ſimul & [illegible], tota hieme [illegible] ferat ſilva. Atque hinc adeo eſt quod ad littora [illegible] Vaygats tanta paſſim conſpiciatur lignorum undique confractorum copia.

[illegible] ii, quos dixi, [illegible] trans Ieniſceam, ſed [illegible] ad ortum via; & ad au[illegible] [illegible]; aſſumtis ſecum [illegible] Tingoeſiis, de quibus dixi[illegible] complures ad auſtrum [illegible] eſſent multorum di[illegible], & quorum reges perpetua fere [illegible] bella. ſed cum aliquot [illegible] nil profeciſſent, tandem [illegible] ſunt. Tingoeſii tamen, [illegible] ut penitius tractus illos [illegible] id ſe facturos, & [illegible] cum Moſchis pactum [illegible]. Anno inſecuto Tingoeſii [illegible] nonnullos ſuorum di[illegible]. qui longius ali[illegible] progreſſi, tandem

&c

image
not
available

& alium quendam invenerunt ingentem fluvium, Ieniſcæa quidem minorem, ſed pari rapiditate: cujus curſum aliquot dies ſecuti inciderunt in quoſdam homines, quos curſu antevertentes apprehenderunt, ſed eorum ſermonem non aſſequebantur, niſi quod è certis quibuſdam ſignis & vocibus barbarorum *Om Om* ſubinde ingeminantium, conjecerunt ab altera fluvii parte crebra audiri tonitrua: addebant, & hominum ſtrepitus inibi ſæpius exaudiri, & intenſo in flumen digito, *Piſida* aliquoties repetebant. unde collegerunt Tingoëſii, id fluvio nomen eſſe. vocibus vero *Om Om* divinarunt poſtea Moſchi deſignari bombos nolarum. Redeuntes dehinc Tingoëſii, aſſumſere ſecum nõnullos tractus iſtius incolas; qui perierũt omnes in via, ſive pavore quodam id factum ſit, ſive aëris inſolentia. Ipſi ſane Tingoëſii mortem eorum moleſte ferebant. reverſi namque, adſerebant, homines eſſe ingenioſos, corpore bene compacto, oculis parvis, facie plana, colore fuſco, & ad luteum fere vergente.

Hæc cum didiciſſent è Samojedis, ex tractu Tingoëſiorum in Siberiam redeuntibus Moſchi, magna ſtatim cupi-

image
not
available

navigia quę ſecundo flumine deorſum tenderent. addebant, vela fuiſſe quadrata, Indicis, ut arbitramur, ſimilia. Sed nullis plane ab ea ubi conſtiterant parte uſquam conſpectis hominibus, cum aliquamdiu illic hæſiſſent,& verno tempore comperiſſent flumen valde augeri; (quod tamen vix poteſt, ut ex certo narraverint; cum præalta utrimque ſit ripa:) tandem longis admodum itineribus, ac nō niſi autumno, reverſi ſunt; referentes,& quidem jurati, ſeſe aprili ac majo menſibus admodum delectatos fuiſſe pulcherrimo tractus illius adſpectu, & complures in eo vidiſſe rariores ſtirpes, flores, fructus, arbores,aves, feras. Sedenim Moſchi talium minime curioſi erant; ut qui nihil captent quam lucrum, cætera prorſus inculti.

Quæ poſt hæc à Ruſſis in hiſce partibus geſta fuerint,non ſatis conſtat: bellis domeſticis impeditos, credibile eſt.

Influit præter hæc in fluvium Oby flumen *Toas*, profluens, ut videtur, ex locis Ieniſcçæ vicinis,& vaſta quadam in iis ſylva; ex qua & alius, non procul ab illo priore,videtur oriri fluvius, Ieniſcæç itidem ſeſe commiſcens.adeo ut inde ab Oby, aqua proficiſcantur per terram Samojedarum; &, duabus

duntaxat

image
not
available

Iter à Vologda ad Narvam.

Ad Belozoram	verſt.	140.
ad Batagh		80.
ad VVitergenam		40.
ad Ladiskiam		60.
ad lacum Onegam		80.
ad Oheram		90.
ad Narvam		180.
ab aquilone ad africum	verſt.	770.

Iter à mari albo ad mare Caſpium.

A S. Nicolai monaſterio ratibus unilігneis adverſo flumine Dvvina aſcenditur Vologdam uſque, verſt. 1100. iter eſt quatuordecim dierum, noctu & interdiu navigando. rates illas Ruſſi appellant *ſtroogs*. hybernis menſibus equis & rhedis hoc iter octiduo abſolvitur: æſtivis ob crebras paludes & altum cænum invium eſt. A Vologda ad Yaraſlaviam ſunt verſtæ 180: Yaraſlavia ad ripam Volgæ ſita eſt: à qua porro naviculis deſcenditur ad mare Caſpium uſque: intervallum eſt 2700 verſtarum: quod iter triginta integris diebus abſolvitur. Volga infra Yaraſlaviam, ubi minimum, patet miliare unum in latitudinem.

[illegible] ad
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] in
[illegible]
[illegible] verſt.
[illegible] ad Terrecotuan XII.
ad [illegible], ad Morom XX milliar. ad
Niſovogrod & confluentem Occæ
in Volgam XV. ad Vaſſigorod XXV.
[illegible] XV. ad Swyasko XXV.
Cazæ, à Caza ad Camæ in Volgam
[illegible] XV. ad Perovoloc. ad
[illegible] Ruſſorum præſidium, quod
Tartarorum vocabulo appellant Ca-
[illegible] verſtæ. ad ſecundum
[illegible] Caravool 113 verſtæ. ter-
[illegible] Caravool 50 verſt. ad
[illegible] Caravool 120 verſt.
ad [illegible] Caravool 50.
ad [illegible] 30 verſt. ad Aſtra-
ca[illegible] verſt. ad Vchoogh 60 verſt.
ad [illegible] Cheterabongori 40 verſt.
Hic Volga ſe exonerat in mare Caſ-
pium.

image
not
available

II.

Soli cœlique qualitates; fruges, aliaque commerciis apta.

SOlum hujus regionis ut plurimum eſt leve atque arenoſum, pro provinciarum tamen differentia multum varians. Provinciæ enim omnes quæ ad ſeptentrionem vergunt, quæque ſitæ ſunt verſus ſinum S. Nicolai & Colam, quæq; ad aquilonem tendunt verſus Siberiam & Samoëdarum regionem, fere ſunt infœcundæ, tum ob nemora & denſiſſimas ſylvas quibus horrent, tum ob climatis extremam frigiditatem hibernis menſibus, & æſtatis brevitatem. Secundum utramque autem Volgæ fluminis ripam inter Cazan & Aſtracan, licet ſolum perfœcundum ſit, agri pene inculti jacent, & regio omnis incolis vacua eſt, prꝫterquam paucis admodum locis ad occidentalem ripam ejuſdem fluminis, ubi magnus Ruſſiæ Dux aliquot caſtella condidit, & præſidia militum collocavit. Cauſa eſt, quod vicini Tartari, qui *Crim* appellantur, neque ipſi oppida condere volunt, vagæ & ambulatoriæ vitæ dediti, & pecuariam tantum exercentes, neque Ruſſum,

cujus

image
not
available

dant : frigus autem adeo penetrabile, ut multi in ipſo foro & alii alibi in campis iter agentes aut penitus deficiant, aut ægre membris exterioribus mutilati evadant. Nonnumquam hyeme ſupra modum ſæviente, lupi atque urſi catervatim è ſylvis fame cogente erumpunt,& obvios quoſque dilaniant, paganoſque interdum in tuguriis ſuis opprimunt. Adverſus hanc frigoris violentiam in oppidis atq; pagis, in omnibus ædibus habent caldaria ſive ſtuvas modo ipſis peculiari factas,è ſilicibus aut petris in modum furnorum,quæ conclavia multo fumo implent. Mira ſunt & fere fidem ſuperant quæ de acrimonia frigoris in hiſce partibus narrantur, quæ conſulto prætereo.Atque hæc quidem hyeme regionum conditio eſt. Vere vero ineunte tanta repente mutatio incidit, ut ſylvæ ſubito revireſcant, gramina emergant, flores emicent, ſata pullulent, aves & præſertim luſciniæ tam ſuaviter ubique concinant, ut nihil ad amœnitatem regionis addi poſſe videatur. Id autem beneficii regiones haſce à nivibus conſequi opinantur, quæ quum hyeme altiſſimæ ſint & ſolum ubique operiant, ſolum veluti veſte quadam contegunt,

&, ne

image
not
available

Inter ea quæ Ruſsia producit in uſum indigenarum, primum locum poſtulant fruges: triticum nimirum, quod interdum viliſsimo pretio hic venire ſolet: ſecale, quod ſolum ante hyemem ſerunt, quum cætera farra verno tempore terræ mandent; hordeum, avena, piſa, fagopyrum, & pſnytka oryzę ſapore admodum ſimilis. Quæ frumenta omnia tanta copia hic proveniunt, ut indigenis & vicinis nonnumquã abunde ſufficiant: quod ſi quando hic annonæ caritas accidit, id potius Nobilium fraude fit quam regionis infœcunditate. Sunt tamen in magni Ruſsiæ Ducis dominio provinciæ aliquot farris inopes, uti Permia & aliæ quædam ſeptentrionales, quæ panis è frugibus uſum fere ignorant, niſi quum interdum illum à vicinis accipiunt; quarum incolæ panes è radice quadam, quam vocant *vaghnoy*, coquunt; interdum & ex interiore medulla abietum.

Quæ autem & indigenis ſerviunt, & commerciis apta ſunt, hæc fere numerantur.

1. Pelles variorum animalium, quibus & incolæ contra frigoris violentiam corpora ſua muniunt, & ingentem earumdem copiam advenis mer-

catoribus

image
not
available

v. Taurorum & bubalorum tergora; quorum ſuperioribus annis ad centum millia exportata volunt; hodieque non minorem, ſi non majorem numerum, exportari.

vi. Oleum ex phocarum arvina coctum.

vii. Ickary ſive caveary; cujus magna copia ad Volgæ ripam conficitur ex ovis piſcium, bellouginæ puta, ſturionis, ſeverigæ, & aliorum; & in alias regiones, præſertim in Italiam, vehitur, opulento ſatis commercio.

viii. Linum & cannabum. Illud quidem Volsko provincia cum vicinis regionibus; hoc Smolensko, Dorogoboſe & Vathma, magna copia & ſingulari bonitate producunt. Exigua autem copia hodie, præut olim, evectatur, partim ob incolarum deſidiam, potiſſimum autem ob exportandi difficultatem & nimios vecturæ ſumtus.

ix. Sal; cujus magna vis Starræ Ruſſæ & alibi è ſalſis ſcaturiginibus cogitur; juxta Aſtracan oppidum autem à marinis fluctibus ejicitur in littus.

x. Pix; cujus immenſa copia in provincia Smolensko & Dvvina ex abietibus & piceis eliquatur.

xi. In provincia Corelia & ad ripam

per Dvvinam verſus oceanum a-[illegible], itaque excidantur inde, ut vocant [illegible] vici [illegible] præſtat, & in [illegible] vulgo [illegible], vici Ruſſicè [illegible].

[illegible] Ferrum, [illegible] mediocris [illegible] Ruſſia.

III.

De ingeniis & moribus incolarum.

Gentis omnis Moſcoviticæ major ſervitus eſt quam libertas; cujus rei [illegible] Principem propriam habent. Omnes enim paſſim, cujuſcunque conditionis ſunt, [illegible] perſonarum habito, du[illegible] ſervitute premuntur. Nobi[illegible], præfecti, primores, con[illegible] univerſi, ſe cholopos, id eſt, [illegible] & viliſſimos ſervos Ma[illegible] fatentur, & bona ſua omnia mobilia & immobilia, quæ poſſident, non tam ſua quam Principis eſſe agnoſcunt. Ut autem equeſtris ordo à Magno Duce, ita etiam plebeius ordo à Nobilibus & Magnatibus graviſſime premitur. Civium enim & oppidanorum [illegible], militarium hominum & Nobilium prædæ expoſita ſunt, & [illegible] nigri homines &

image
not
available

Chriſtiani communiter appellantur. Sex dies coloni in ſeptimana dominis ſuis laborant; ſeptimus dies privato labori conceditur. Neque hi ſtrenue laborant, niſi bene verberati. Habent autem certos agros à dominis ſuis ſibi attributos, ex quibus vitam tolerant, & tributa annua ſolvunt. Artifices & mechanici ſecundum præſcriptum parvo laborem ſuum vendunt. Quumque annonæ caritas in pretium concedit, tunc artifices exiliori tenuiorique in pretio ſunt, adeo ut vix panem ipſum pro labore unius diei, quamvis ſtrenuo, poſſint acquirere. Oppidani quoque & mercatores gravibus & intolerabilibus tributis & exactionibus onerantur. Quod ſi Princeps aliquem mercatorem argenti aut auri paulo ditiorem à delatoribus (quorum plena eſt aula) reſciverit, hunc ſibi repræſentari imperat: & crimine, licet falſo & cõmentitio, onerato dicit; Delatum eſt ad nos tuum, ſceleſte, facinus; ideo ut criminoſus punieris. Si autem accuſatus ſe innocentem obteſtetur; tunc princeps reſpondere ſolet; Animæ teſtium, qui te accuſaverunt, hoc ſciant; Mea vero nihil refert. Confeſtim ergo juſſu principis arripitur, & tandiu verbera-

tur

[illegible] miſericordia [illegible] ſuis, unde [illegible] accipiant quomodo [illegible], aut, ſi aliquatenus [illegible], tunc creditoribus ſuis ita [illegible] certum tempus ſe [illegible] modum ſervire co [illegible] eundem locum omnes [illegible] principe per contume [illegible], ſi ditiores fuerint, [illegible] conditionis, tantiſper [illegible] multam impera [illegible], principi ſolvant.

Omnes communiter ſervos aut [illegible] captivos habere ſolent; quos [illegible] frequenter manumittunt: ſed tamen ſervituti aſſueti aliis [illegible] ſervitutem ſeſe dedunt,

E

aut

image
not
available

aut pecunia accepta ſe mancipant. Liberi etiam, qui dominis certa mercede ſerviunt, non poſſunt, quando lubet, à dominis ſe abdicare. Si enim quis abſque domini voluntate abierit, ab alio in famulatum non aſſumitur, niſi fuerit à priore domino vel ab illius amicis, qui pro fidelitate illius ſpondeant, commendatus.

Pater quoque poteſtatem habet filium quater vendendi, ita ut ſemel venditum quocunque tandem modo liberatum vel manumiſſum à domino, iterum atque iterum jure paterno poſſit vendere; poſt quartam autem venditionem nihil amplius juris in illum habet.

Mulierum conditio miſerrima eſt; nulla enim honeſta & pudica creditur, niſi domi concluſa vivat, adeo ut nuſquam prodeat. Domi autem manentes fila nent, telam texunt; neque quicquam authoritatis in ædibus uſurpant. à maritis bene verberatæ, raro conqueruntur, ſed amoris id indicium vocant. *Hæc à Guagnino prodita accepimus.*

Ruſſi ut plurimum vaſto ſunt corpore & obeſiore: quippe qui mole corporis aliis præcellere inprimis decorum putent. Ingenio ſunt tardo juxta

image
not
available

fucatam eſſe, maritis ultro ſumtum præbentibus.

Amiciunt ſe Ruſſi ad Græcorum pene modum; ita tamen ut ſinguli pene ordines ſuum peculiarem amictum habeant. Nobiles, qui cæſariem ad cutem ipſam deradere ſolent, (niſi quum principem offenderunt aut indignationem illius metuunt; tunc enim & comam alunt, & ad humeros uſque promittunt, faciemque eo operiunt horrendum in modum,) primo verticem capitis tegunt exiguo caputio, (*taſſia* ipſis dicitur,) auro & gemmis precioſis intertexto; huic aliud majus & Turcici in modum erectum ſuperimponunt, nigræ vulpeculæ pelle munitum; (has quippe pelles maximi faciunt, & magno precio redimunt.) Collo nudo circũdant collare tres interdũ tranſverſos pollices latum, unionibus aut aliis gemmis reſplendens. Induſio lineo primo ſuperinduunt veſtem, quam *shepon* vocant; quæ eſt tunica ſericea auro & gemmis diſtincta, (æſtate quippe intra penates hanc ſolam geſtant,) ab humeris ad genua promiſſa, & nodis antica parte clauſa. Huic rurſus ſuperinduunt ſtrictiorem tunicam, nodis itidem concluſam, & cingulo Per-

image
not
available

nibus & gemmis reſplendens. Supremum corporis indumentum eſt *opoſhen*, laxa tunica cum manicis ad ſolum uſque pendulis & antica parte grãdioribus, nodis aureis aut inauratis connexa. A tergo addunt cucullum è pretioſis pellibus, qui pene ſcapulas illarum tegit. Sub qua tunica geſtant & alteram, *leitnick* illis, cum laxis manicis ad cubitum uſque reductis, è pretioſiſſimo panno; & ſub hac tertiam, *ferris zempskoy*, ad talos uſque demiſſam. Armillas itidem geſtant aureas & gemmis diſtinctas; ſoccos denique ex albo, flavo aut cyaneo corio, margaritis variato.

Vulgarium amictus vilis eſt. Mares hyeme quidem ſubuculæ è pellibus agninis, aliiſve, quam *ſhube* dicunt, ſuperinduunt tunicam laxam ad talos uſque dimiſſam, è vili panno albo aut cyaneo: caput furrato caputio, crura ſoccis muniunt: æſtate nihil præter induſia & ſoccos uſurpant. Fœminæ item hibernis menſibus ſubuculam ejusmodi & togam rubram aut cyaneam induunt; æſtate bina ut plurimum induſia tantum, ſive domi deſideant ſive prodeant in publicum. Sine inauribus ex argento aut alio metallo vix ullam fœminam aut vir-

gitem

image
not
available

conſuetudine Tartari ad fidem Chriſtianam non convertantur, dum gentis vitia religioni imputant.

Matrimoniorum ratio à cæteris nationibus non parum abludit. maribus enim puellas quas ambiunt, videre aut alloqui ipſis inſuetum; per matres aut anum aliquam procantur. Vbi autem inter parentes, aut eos qui in parentum ſunt loco utriuſque partis, convenerit, (nam ſine conſenſu parentum etiam hic cõnubia illegitima judicantur,) primo inter ſe deliberant quam ſummam puella ad ſponſum delatura ſit. quæ pro parentum opulentia interdum grandior eſt; nam ipſorum moribus inſolens eſt ſponſum quicquam dotis nomine repromittere. verum marito decedente, nullis liberis è conjugio natis, vidua tantum recipit quantum attulerit, ſi modo maritus tantum in bonis relinquat; ſi vero liberos ex illo ſuſceperit, tertiam partem bonorum capit, aut amplius, è voluntate decedentis. Dotales dein tabulas ut ita dicam conficiunt, in quibus puellę parentes aut conſanguinei fidejubent puellam eſſe incorruptam; (è quo contractu plurimæ lites naſci ſolent, ſi vel modica poſtea maritum ſuſpicio cœperit illam ante fuiſſe

vitia-

image
not
available

ut mutuum in futurum obſequium & amicitiam voveant. denique à ſponſi patre panis ſacerdoti traditur; qui illum quantocius tradit in manum patris ſponſæ, obteſtans illum, ut die conſtituto dotem promiſſam ſponſo annumeret, & deinceps amicitiam cum ipſo & amicis illius inviolatam conſervet: pater autem ſponſæ panem in plures partes frangit, & ſingulas partes diſtribuit inter præſentes conſanguineos & affines, ut deinceps in unum veluti panem coaleſcant. Finitis hiſce ceremoniis, ſponſus ſponſam manu ducit ad templi veſtibulum, & cyathum plenum medone illi propinat; illa cyathum acceptum ſub velo libat. atque ita cum ſuis quique amicis ad parentum ædes reducuntur: ubi ſub ingreſſum farre aſperguntur, in omen fœcunditatis & opulentiæ. Sub veſperam ſponſa rurſus ducitur ad ædes ſponſi, velata uti ante: & illa nocte nec vocem edere à matre docetur, ne ſponſus illam audiat aut videat ante craſtinum: tribus quoque ſequentibus diebus in nuptiali ſympoſio, verba niſi pauca, eaque pene ex præſcripto, & cum ſumma ſponſi reverentia loquitur; nam ſecus facere inprimis indecorum putant. Quarto demum die

novi

[illegible] propria concedunt, & [illegible] dant equum. Toto [illegible] tempore ſponſus [illegible] [illegible], patris [illegible], appellatur, [illegible]

[illegible] ſuis ſepeliendis multas ceremonias adhibent, ſuperſtitioſas juxta atque profanas: nam mortuo ſarcophagum abdunt literas commendatitias ad S. Nicolaum, quem cœli janitorem opinantur, haud ſecus quam Romanenſes S. Petrum. Hyeme autem quum tellus gelu ita obduruit, ut ſcrobes effodi nequeant, cadavera omnia in domum publicam (boshedom, id eſt, dei ædem, vocant) abdunt; ubi [illegible] congeruntur: vere autem ineunte, & ſoluta glacie, ſinguli ſuorum cadavera repetunt, quæ cum ſuis veſtimentis terræ mandant. Præter orationes pro defunctis, poſtquam jam cadavera terræ ſunt mandata, ante ſepulturam adhibent fœminas, quæ magno [illegible] planctu faciunt, & mortuos [illegible] vociferationibus interrogant [illegible] more, cur ipſis moriendum fuerit, & ſimilia: ut mihi [illegible], ejuſmodi planctus à [illegible] & aliis barbaris celebrari [illegible] Legati Anglici commen- [illegible]

image
not
available

Mores denique gentis in Icone animorum ita exprimit *Ioann. Barclaius:* Servituti gens nata, ad omne libertatis veſtigium ferox eſt; placida ſi prematur. Neque abnuunt jugum. Vltro fatentur Principi ſe ſervire; illi in ſuas opes, in corpora, vitamque jus eſſe. Sordidioris reverentiæ humilitas Turcis non eſt in ſuorum Ottomanorum ſceptrum. Cæteras quoque gentes ex ſuo genio æſtimant. Hoſpites, ſive forte, ſive conſilio, in Moſcoviam advectos, in idem jugum damnant, & ſervire ſuo Principi volunt; ſi quos furtim abeuntes retraxerint, ut fugitivos plectunt. Magnatibus, licet ipſi ſerviunt, in minores ſuus faſtus eſt; & vulgus horum maxime ſupercilium timet.

Fertur populus adeo literarum rudis eſſe, ut pauci inter illos vulgatiſſimas preces memoria teneant quibus Numen propitiamus. Bello quam ocio aptiores; & plerumque in armis ſunt; ſive quo Tartarorum impetum frangant, ſive alio limite Polonos laceſſunt, repelluntve: Iſta quoq; ætate civilibus odiis inter ſe certaverũt. Acies illis ex equitibus tota. pedite ideo vix utuntur, quod omnium bellorum momenta in celeritate conſtituunt;

magno

image
not
available

omnibuſque officiis mutuam gratiam affectaret, illa dejectis luminibus mæſta, crebro in ſingultibus & cæteris mærentis animi indiciis erat. Viro denique ſciſcitanti mæſtitiæ cauſam; ſe enim nullis quod ſciret amicitiæ muneribus defuiſſe: Quid tu, inquit mulier, tam egregie fingis amorem? Num putas latere me quam tibi vilis ſim? ſimulque largos gemitus cœpit effundere. Ille attonitus, in amplexus mœrentem recepit, rogare perſeverans, nunquid eam offendiſſet. peccaviſſe ſe forſitan, ſed culpam emendatione deleturum. Ad hæc illa; Vbi autem ſunt verbera, inquit, quibus te amare docuiſti? hoc certe potiſſimum pacto, maritorum in uxores apud nos benevolentia & cura ſancitur. Hoc à Iordane audito, primum ſtupor continuit riſum; mox utroque vaneſcente, è re ſua eſſe putavit, ut uxorem eo modo haberet, quem ipſa præſcripſerat: nec multo poſt arripuit cædendæ mulieris cauſam, & illa fuſtibus mitigata, tum primum bona fide amare & colere virum cœpit. Nec tenuit ille modum; ſed jam ferior quam miſera conjux optaſſet, ad extremum grandi ictu dicitur hujus etiam crura & cervicem afflixiſſe.

IV. *Re-*

IV.

Regimen politicum & civile.

RUſſiæ principis regimen fere ſe habet, ad Turcici imperii modum, cujus præcipua politica habitude videtur imitari. Nam principatum omnium ſibi vindicat, & non modo vulgus, ſed & nobilitatem duro ſervitio premit, & populum gravibus tributis exhaurit: præterquam quod nobilitati aliquam libertatis ſpeciem indulget, ad teneriores, alioſque nobiles ipſius beneficio terras poſſidentes, acrius opprimendos; & plerique quoque libertatis aliquam quaſi larvam [illegible], qua ipſis licet terras ſuas teſtamento liberis ſuis tranſcribere.

Principale regimen conſiſtit in legibus ferendis & abrogandis, publicis magiſtratibus creandis, bello gerendo, aut [illegible] induciis paciſcendis, fœderibusque cum cæteris principibus & [illegible] faciendis; pœnis corporalibus infligendis aut condonandis, denique in omnibus civilibus & criminalibus judiciis. Princeps & Senatus [illegible] plane abſoluta utitur poteſtate: [illegible] non modo ſupremus ſit legiſlator, ſed & executor. Nam le-

image
not
available

omnes ſine ullo publico parlamento prævio promulgat. In quibus examinandis pręter privatos cōſiliarios, nullos adhibet præter paucos epiſcopos, abbates atq;eccleſiaſticos;ut melius ſuperſtitioſo vulgo imponat,cui nihil ſacrum & rectum videtur niſi cui ipſorum ſacerdotes affuerint, nihil durum putatur cui illi conſenſerint. Itaque Principes Eccleſiaſticos homines multis immunitatibus & honoribus cumulant, gnari, nullum firmius vinculum eſſe tyrannicæ dominationis, quam ſuperſtitionem vulgi & rituum receptorum pertinacé obſervantiam. Deinde nullum eſt munus publicum quantævis dignationis, quod hic hæreditarium ſit, quod non immediate & abſolute à Principe conferatur;adeo ut ne ſcribarum quidem, quos *dyaks* vocant, & in ſingulis præcipuis oppidis habent, munus præterquam ab ipſo Principe cuiquam mandetur. Tertio judices omnes, qui juriſdictionem in cauſis civilibus & præſertim in criminalibus exercent, ab eodem ad libitum conſtituuntur; nec munia hæc aut ad hæredes tranſmittunt aut ad vitam peculiari Principis decreto obtinent. Iidem ita timide & circum-

image
not
available

qui privatum illius conſilium conſtituunt; tertio nonnulli ex eccleſiaſtico ordine, & fere pari numero: plebeiis nullus hic locus, quos mancipiorum loco habent, & obediendi neceſſitatem impoſitam putant, nullam autem ſinunt habere deliberandi libertatem. Convẽtus hic celebratur in hunc modum: Imperator citat Nobiles, qui ſunt de privato illius conſilio: itemque Patriarcham; qui dein advocat Metropolitanos duos, totidemq; archiepiſcopos, & epiſcopos, qui inter illos dignatione præcellunt, abbates item atque monachos. Hi ubi ad aulam venerint, ſeſſionis dies à Principe decernitur, qui plerumque eſt veneris, ob diei illius apud ipſos celebritatem & religionem. Vbi dies hic illuxit, Eccleſiaſtici primi locum publicum, qui *ſtollie* ipſis dicitur, ingrediuntur: dein, Principe cum ſuis proceribus adventante, Patriarcha cum clero ipſi obviam egreditur, ipſi benedicit, duobus primoribus digitis ſuis Principis fronti & genis admotis, & dexterum pectoris latus deoſculando. Tum atrium ſimul ingrediuntur, & ſuo quique ordine conſident, in hunc modum: Princeps thronum occupat; & juxta illum quadratæ menſæ (quæ duodecim

image
not
available

contendere ut ſententiam ſuam libere proponant: & ſi rei propoſitæ conſentiant, ſuum calculum adjiciant, quo res plene poſſit determinari. Illi autem nihil cunctati rem propoſitam probant, & benedictione Principi impertita cum venia illius diſcedunt. Princeps autem Patriarcham ad exterius atrium deducit; dein rurſus conſidet, donec pompa ſit parata qua ipſe domum reducitur. Actis denique à ſcribis confectis, eadem in omnibus provinciis & oppidis per Duces aut Scribas promulgantur. Conventuque abſoluto Patriarcha & cæteri eccleſiaſtici ſolemni epulo à Principe excipiuntur, & ſua quique loca repetunt.

Dignitatum gradus & ordines populi.

Dignitatum gradus poſt Principem hi fere ſunt:

1. Nobiles, qui quatuor ſunt generum. 1. Principes, qui *Vdelney Kazzi*, id eſt, exemti & privilegiati Duces appellantur, quorum poteſtas primum à Principibus Ruſſiæ multum imminuta, ad extremum à Ioanne Baſilide penitus ſublata fuit; ita ut nunc non minus quam cæteri ſervitutem ſerviant, quum antea libere in ſuis qui-

que

image
not
available

catiſſimi ſuos agricolæ, quos *Chriſtia-nen* appellant.

De regimine provinciarum.

RVſſiæ principatus omnis dividitur in quatuor partes ſive tetrarchias, quas ipſi *Chetfirde* appellant. quarum ſingulę plures provincias complectuntur, & certis officiis ſunt annexæ, à quibus & nomina ſortiuntur.

Prima tetrarchia vocatur *Poſolsky Chetfird*, ſive juriſdictio muneris Legatorum, & plerumq; addicitur principali Secretario, qui quotannis illius nomine percipit centum rublas.

Secunda dicitur *Roſtradnoy Chetfird*, quę fere ſupremo Comiti ſtabuli, quem *Roſtrade* vocant, attribuitur, cum ſtipendio itidem c rubl.

Tertia vocatur *Pomeſtnoy Chetfird*: quia attribuitur illi qui ſervat indicem omnium terrarum quæ Princeps Nobilibus ſuis aliiſque attribuit; cum ſtipendio annuo 10 rubl.

Quarta denique *Caſſanski Dvoretz*: quia tribuitur illi qui jus dicit in regno Caſan & Aſtracan & oppidis ad Volgam ſitis, cum ſtipendio c rubl.

Extra has tetrarchias cenſetur Principis patrimonium, vulgo doma-niam

Digitized by Google

image
not
available

ſcribam datur provocatio; ſicuti à duce & ſcriba ad aulicum Senatum appellatur: denique *Sotskoy ſtaroſti*, id eſt, aldermannos ſive balivos centuriarum. *Deinde* munus illorum eſt, de criminibꝰ, furto, homicidio, proditione, &c. cognoſcere, reos captivare, examinare; & examen cum omnibus ſuis circumſtantiis ad præfectum tetrarchiæ ſuæ qui in aula reſidet mittere; nam ipſis reos plectere aut capitis damnare non licet. *Tertio*, leges aliaque edicta nomine principis promulgare, tributa colligere, militum delectus habere, & ſacramento adactos ad locum à Principe dictum deſtinare.

Porro hi duces & ſcribæ ab ipſo Principe eliguntur, & ad ſuas quique provincias deſtinantur, & ut plurimum ſingulis annis mutantur, niſi aliter principi videatur; & quum fere advenæ ſint in illis provinciis, nullo populi favore, ſed principalis legationis metu ſubſiſtunt, & qui plurimum, centum rublas, alii minus quotannis pro ſtipendio accipiunt: quo fit ut plerumque inopes provinciales miſere ſpolient; quod à primoribus illis eo conniventius toleratur, ut ipſos veluti ſpongias exprimere & repetundarum poſſu-

image
not
available

procurant; quorum tribunal *Zemſkey* vocatur. Ad quod oppidani famulus ſuos furti ſuſpectos adducunt, flagro aut alio tormento examinandos. Præter hos duos Nobiles & totidem ſcribas, ſunt Aldermanni, *Staruts* ipſis, ſingulis tribubus præfecti, in quas plebs omnis diviſa eſt: illi ſub ſe habent ſuos *Sotskey*; & hi ſuos *Decetskeys*, id eſt, decuriones, qui decem familiarum inſpectionem habent. Priores illi Nobiles & ſcribæ ab ipſo Principe conſtituuntur; qui Aldermannos ſuos eligunt; & illi porro Sotskeyos; Sotskeys autem decuriones.

De Conſilio privato Principis.

RUſſorum Princeps plurimis Nobilium tribuit titulum & dignitatem Conſiliariorum; quorum tamen opera raro utitur, quique rariſſime ad Senatum habendum vocantur. hi generatim *Bojarens* appellātur: quum cæteri, quorum opera quotidie utitur, in omnibus publicis negotiis *Dumney Boyaren* appellentur, & ſedes illorum *Boarſtua dumna*. Horum numerus certus iniri non poteſt; &, prout in aliis quoque aulis evenire cernimus, alii, prout gratia florent apud Principem, ita potiſſimum rebus agendis adhi-

image
not
available

explicat à quo quantum læſus ſit; & impetrata venia per *vorpu*, id eſt, indultum judicis, per apparitorem (*predave* illis) ſiſti & in judicium acerſi curat reum; qui cogitur fide jubere ſe dicta die judici ſe ſiſturum, aut alioqui licet apparitori ipſum detinere quibuſcunque modis poteſt. Vterque auté tam actor quam reus propriam cauſam agit, nullo ſubſidio procuratorum aut advocatorum. Si cauſa teſtibus declarari non poſſit; ſacramento terminatur: nam quum judici non ſatis liquet utra pars jure nitatur, ſolet alterutrum rogare, an crucem oſculando firmare velit ſe verum dicere; quod ſi annuat, ſtatim ad templum ducitur, & cruce oſculata non modo cauſam, ſed & id quod adverſarium ſuum poſcit, obtinet. Hanc crucis oſculationem *Chrestkina chelovanian* vocant, & tanti æſtimant quam jusjurandum. Quod ſi ambo ad id parati ſint, tum forte cauſam dirimunt. Qui cauſa cadit, niſi ſtatim creditori ſuo ſatisfaciat, ad *Pravezh* ducitur, id eſt, locum publicum ubi ejuſmodi condemnati ſingulis diebus mane ab hora octava ad undecimam fuſtigantur miſerum in modum, tantiſper donec ſatisfaciant: quod ſi per annum

Digitized by Google

image
not
available

grorum quotannis pendunt principi,
partim certos cenſus in pecunia nu-
meratur, partim in frugibus terræ, ut
tritico, ſecale, hordeo, avena, &c.
(hoc tributorum poſterius genus ipſi
vocant *obrokey*.) itemque in anima-
libus terreſtribus aut volatilibus &
domeſticis avibus; denique in aliis ter-
ræ frugibus, materie, cera, melle & ſi-
milibus. Quidam etiam illorum te-
nentur aliquot jugera terræ in uſum
Principis colere certa aliqua paſtione
in proprium uſum ipſis attributa. An-
nona autem quæ hoc paſto Principi
colligitur, longe copioſior eſt quam
aut in familia illius expendi, aut per
penſiones, quas familiaribus ſuis aut
nobilibus pro mercede attribuit,
(*ſclavoney* vocant,) exhauriri poſſit:
itaque reliquum venundatur magno
pretio, & nummi in Principis ærarium
inſeruntur.

Id redituum genus ſub dominatu
Joannis Vaſilovvick (qui ſplédidiſſime
vivebat) quotannis vix ſuperabat ſe-
xaginta millia rublarum: ſed ſub filio
illius Theodoro ad 230000 ſummam
excrevit; maxime induſtria Theſau-
rarii illius Gregorii Vaſilovvick Godo-
noue. Maxima autem pars hujus pro-
ventus expenditur in ſtipendia mini-
ſtrorum

image
not
available

Caſtrome	12000.

Summa totalis eſt 400000 rublarum, quæ ſingulæ, libræ Flandricæ aut ſex florenis æquiparantur. Hoc tributi genus kal. ſeptembr. à quibus Ruſſi annum auſpicantur, ad quæſtores affertur.

Tertium redituum genus (quod ipſi *bolſhia prochod*, id eſt, magnum tributum vocant) colligitur è vectigalibus & portoriis civitatum & municipiorum totius principatus. Oppida autem, quæ grandiora vectigalia quotannis ſolvunt, ſunt hæc fere:

Moſko reddit	12000 rubl.
Smolensko	8000.
Volsko	12000.
Novogrod Velica	6000.
Stararouſe	18000.
Torshock	800.
Otfer	700.
Yaruslave	1200.
Caſtrome	1800.
Niſna novogrod	7000.
Caſan	11000.
Vologda	2000.

Atque hoc quidem vectigal è majoribus urbibus certum ſtatumque eſt quia ita quotannis redimitur, redemptorum quidem damno ſi minus reddat, Principis vero emolumento ſi amplius

image
not
available

officii *prechaſe ſheſiny nemshey*: quod curat milites mercenarios exteros: itemque *pusharskey*: cui ſimiles reditus annexi ad apparatus bellicos & nitratum pulverem coacervandum. Quicquid autem ex omnibus hiſce ſub ſinem anni supereſt, id omne in ærarium Principis ſeu *prulsha prechod* infertur: ita ut univerſa ſumma receptæ pecuniæ à *prulsha prechod* quotannis aſcendat ad octingenta millia rubl. aut circiter.

Ratio autem ab omnibus his quæſtoribus redditur in Principis gazophylacio; ubi omnes ipſius gemmæ, & ceimelia, corona, ſceptrum, aurea argenteaque vaſa, aurum argentumque cuſum, & alia hujuscemodi cuſtodiuntur. Qui accurate rationem accepti & expenſi tēpore Theodori principis inivit, Angliæ Reginæ Legatus Aegidius Fletcher, vir prudentia ſingulari, ſcribit, in univerſū quotannis in pecunia numerata in ærarium inferri 1430000 rublarum, demtis omnibus expenſis tam domeſticis quam militaribus. Nec tamen in hanc rationem venire pretioſas pelles, quas immenſa copia è Siberia, Pechora, Permia tributi nomine accipit, & advenis mercatoribus vendit: neque multas, quas fiſcus

capit

image
not
available

cipit ſolio inſidentis hominis ſe illi inclinantis imaginem, ab altera ſcripturam habet, atque duplo Moſcoviticum ſuperat. Griſna quoque Novogrodenſis XIV dengas, rublus CCXXII complectitur.

Pleſcovienſis, ab una parte caput taurinum coronatum, ab altera ſcripturam oſtentat. Habent præterea cupream monetam, quæ *polani* vocatur: horum LX dengam Moſcoviticam valent.

Aureos non habent, nec cudunt ipſi, ſed Hungaricalibus fere, interdum etiam Rhenanis utuntur; pretium eorum ſæpe mutant. Rigenſibusque rublis utuntur propter vicinitatem; quorum unus valet duos Muſcoviticos. Moneta Muſcovitica eſt ex puro & bono argento: quamvis nunc quoque adulteretur: Nec audivi, ob hoc facinus in quemquam animadverſum eſſe. Omnes ferre aurifabri Moſcoviæ nummos cudunt; & quicunque adfert maſſas argenteas puras, nummosque cupit, tum nummos & argentum appendunt, atque æqua lance librant. Exiguum & conſtitutum pretium eſt, quod ultra æquale pondus ſolvendum eſt aurifabris, parvo alioqui laborem ſuum vendentibus. *Hæc ex Herberſteyn.*

Anglus

Digitized by Google

image not available

ſint ſuperſint, & patris agri pluribus ſufficere nequeant: quo caſu in aliud tempus differuntur: & fit ſæpe, quum plures ſunt filii unius familias, ut minores natu aut egere aut alii vocationi ſe addicere cogantur, & non raro malis artibus & latrociniis ſeſe applicent. Vbi autem numerus militum completus eſt, ita ſe habet: Nam primo habet Princeps equites corporis ſui cuſtodes xv ciↄ, cum ſuis tribunis & cæteris officialibus. *Dvvorancy* appellantur. Sunt autem trium generum; qui & ſtipendiis & dignatione multum inter ſe differunt. Primi vocantur *Dvvorancy bulskoy*; quorum alii 100, alii 80 rubl. annuatim capiunt; nulli infra 70. Secundi *ſerednoy dvvorancy*; qui 60 aut 50 rubl. accipiunt; nec infra 40. Tertii *Dyta bojarsky*; qui 20, 30; non autem minus quam 12 rubl. annuatim merent. Atque hujus quidem ſtipendii dimidia pars in urbe Moſcua ipſis ſolvitur. reliquum in caſtris, quando illorum in bello opera requiritur: & tum univerſum eorum omnium ſtipendium annuatim requirit 55000 rubl. Præter hoc ſtipendium etiam agros ſibi aſſignatos obtinent pro ſua quiq; dignitate & merito; ita tamen ut agri illi

ad mi-

image
not
available

& vigor cæterarum gentium Euro-
pæarum accederet.

Peditum, qui *ſtrelſcy* dicuntur, con-
tinuo alit duodecim c12, omnes ſclo-
petarios. quorum v c12 circa civita-
tem Moſcuam agunt, aut aliam ur-
bem in qua verſatur Princeps; atque
11 c12 in ipſa aula, qui *ſtremanoy*
ſtrelſcy appellantur; reliqui in limita-
neis oppidis in præſidiis occupantur.
His annuum ſtipendium datur VII
rublæ, & ſecalis atque avenæ XII
modii.

De peregrinis militibus nihil dicere
neceſſe eſt, quos non alit niſi quum
neceſſe eſt, & ſemper quamplurimos
alere poteſt, quum opibus abundet.
appellant autem peregrinos & mer-
cenarios milites *nimſcoy*.

Præfectorum ſive ducum milita-
rium ordo talis eſt: 1. Generalis Prin-
cipis vicarius, quem *Voyavoday bol-
schaia*, id eſt, magnum capitaneum di-
cunt; qui plerumque eſt unus è ſum-
ma nobilitate, licet neque prudentia
neque bellicarum artium ſcientia
emineat. 2. Ideoque illi adjungitur
Legatus, nobilitate quidem inferior,
ſed belli uſu præſtantior. 3. Sub utro-
que ſunt quatuor veluti mareſcalli;
inter quos copiæ omnes dividuntur.

Partes

image
not
available

quot milliaria in locum extenditur, et aſſeribus ita compoſitũ ut nullo pene labore & conjungi & diſſolvi poſſit; egregio munimento adverſus Tartaros, qui arcu & ſagittis ſolummodo armati facile ligneo hoc ut ita dicam vallo ſuſtinentur.

Ruſſorum equitum arma fere ſunt arcus & ſagittæ, & gladius; paucis breves ſunt haſtæ aut ſpicula; omnia facta ad Turcarum modum: quibus ad Tartarorum modum uti edocti ſunt. Peditum ſclopetum ſive bombarda, ſecuris & gladius. Commeatus nulla principi cura, unuſquiſque ſibi ipſi proſpicit; vili enim cibo contenti ſunt Ruſſi milites; neque fere quicquam uſurpant præter panes ſiccatos, quos *ſuchary* vocant; & cruda farina, quam temperatam, & in maſſam rotundam coactam *tolloekno* dicunt. Quod ſi Ruſſi tantum robore & fortitudine animi ſcientiaque militari valerent, quantum corporis virib⁹ & laborum tolerantia, facile cæteros Europæos ſuperarent: nunc ingenii tarditate, & ſerviendi conſuetudine, nec magna appetunt, nec aſſequuntur. In oppidis quidem defendendis ſtrenue adverſus validas obſidentium vires la-

image
not
available

rum annales teſtantur, qui imperii ſedem primo *Novogrodiæ*, dein *Kioviæ*, ac poſtremò *Vlodimiriæ* habuerunt, antequam *Moſcoviam* transferretur.

Clariſſimus vir Fletcherus monet, familiam Principem Ruſſiæ appellari *Bealam*, atque ex eo conjicit, originem ex Hungaria cepiſſe; ipſumque Ioannem *Baſilidem* ſæpius jactaſſe ſe ex Germanica eſſe origine, non autem è proſapia Ruſſica.

Ruricus (inquit Thuanus, ut ſupra) ex ea gente bello contra Bulgaros ſuſcepto quum feliciter rem confeciſſet, regionis dulcedine captus in ea manſit, liberis ejus, quos domi reliquerat, Novogrodia interim exactis ab Vlodimiro quodam verna ex ancilla nato, cui urbis cuſtodiam reliquerat. ab eo genus ducunt. qui poſtea in eo imperio, in XII principatus (quot filios reliquit Vlodimirus) diſtributo, fuerunt, Iapulocho Rurici fil. & ipſius poſteris avitum imperium fruſtra recuperare enixis. Deinceps fide Chriſtiana imbuti ſunt, & occaſione non minus honorificæ quam fauſtæ affinitatis [illegible]

image
not
available

qui, ſi ab eis Romanorum impera-
tor ſalutaretur, ſe Bulgaria ipſis ceſſu-
rum & perpetuum fœdus percuſſu-
rum receperat. Verum Zimiſcam, cum
honorificas ejus conditiones illi non
ſolum ſuperbe recuſaſſent, ſed legatos
etiam indigne habuiſſent, contra Roſ-
ſos bellum ſuſcepiſſe: Tauroſcythis
vero adventu ipſius perterritis, Calo-
cyrum ad Roſſos confugiſſe. Demum,
conſerto ad Driſterum in Iſtri ripa
poſitum prœlio, Roſſos cæſus; iiſque
cæſis Driſterum diuturna obſidione à
Ioanne cinctum fuiſſe. Tandemque
Roſſos omnium rerum inopia labo-
rantes, ex Spendoſtabli conſilio & au-
thoritate, prælii aleam rurſus tentaſ-
ſe; qua poſt longum & anceps certa-
men poſtremo Roſſos profligatos eſſe.
Poſtea Ioannem cum Spendoſtablo
his conditionibus tranſegiſſe, ut re-
licta Bulgaria domum rediret: ſed in
reditu ipſum & Roſſos omnes, Pari-
nacarum inſidiis exceptos, ad inter-
necionem cæſos eſſe. Hæc Zonaras.
quæ cum iis, quæ de Rurici expeditio-
ne Ruſſici annales memorant, mire

image
not
available

Tandem anno Chriſti cıɔcccıv, Andrea Alexandri F. mortuo, cum Michaël Iaroſlai F. Tuerenſis & Georgius Danielis F. Moſcoviæ Dux de magno Vlodimiriæ principatu contenderent, & uterque eam à Tartaro peterent; primum ſecundum Michaëlem pronuntiatum fuit. ſed interjecto aliquanto tempore Georgius eandẽ, rejecto Michaële, obtinuit anno juxta Græcorum calculum vı cıɔ ɔccc xxvi qui imperii ſedem Moſcoviam tranſtulit, & magnum principatum poſteris ſuis reliquit, adverſantibus initio Ruſſis univerſis, qui hunc honorem Suſdalenſi familiæ reſtitui à Tartaro debere contendebant.

A Georgio illo Ioannes Danielis fil., niſi idem ſit, profectus, primus Moſcoviæ caſtrum condidit: cui Ioannes alter, & Ioanni Demetrius, ac Demetrio Baſilius, qui Sophiam Vitoldi Lithuaniæ Ducis fil. uxorem duxit, ordine ac directa ſerie ſucceſſerũt. Hujus Baſilii filius Baſilius, conjuratione à Demetrio Siemacha Georgii fratris F. Suerienſi, Ioanne Andreæ fil. Moſaicenſe, & Boriſſo Alexandri fil. Tuerenſi Ducibus facta, regno pulſus & luminibus orbatus fuit: ſed Novogrodienſium ope adjutus regnum poſtea reco-

image
not
available

Slavonica regem ſonat, quum alii *Kneſios* tantum appellaſſent, nomen ſibi ſumſit.

Huic anno CIↃ IↃ XXV decedenti Ioannes fil. ſucceſſit; qui aſtum, induſtriam & ſeveram diſciplinam in propagando imperio ad majorum artes adjecit; effecitque, ut ab iis accepta non ſolum retinuerit, ſed etiam magna acceſſione locupletaverit. nam Caſanenſe & Aſtracanenſe regna à patre ſummis viribus tentata, novo & iis populis incognito belli genere uſus, in poteſtatem redegit: ac fere omni Caſpio mari ſui juris facto imperium in Perſidem uſque protulit, multis aliis præclare, non ſine tamen crudelitatis infamia, geſtis. De his variorum hiſtoriæ loquuntur, præſertim vita illius à Paulo Oderbornio tribus libris deſcripta. Ioannes Baſilides (inquit Thuanus lib. LXXX) magnus Moſcorum Princeps, ob immanitates invidiuſ à Paulo Oderbornio & Alexandro Guagnino ſtudioſius fortaſſe quam veracius deſcriptas, infamis ultimum diem clauſit VII kalend. april. anni CIↃ IↃ LXXXIV, quum LVI annos vixiſſet, XXXIX regno præfuiſſet. Ex Anaſtaſia prima uxore duos filios ſuſcepcat; Ioannem cognominem ſibi, quem

image
not
available

in civili adminiſtratione geſtarum
conjectura. Theodorus poſtremis ta-
bulis, regni adminiſtrationem uxori
viduæ commendaverat. quam quum
illa haud invita ſuſcepiſſet; paulo poſt,
mutata voluntate an ex compacto,
imperii adminiſtrationem in proceres
transferre ſe velle dixit, & mundo mu-
tato habitu renūciare. ægerrime id tu-
lit populus, acriſq; ſeditio orta, donec
Boriſſius ſe exorari paſſus eſt, ut impe-
rium pro ſorore capeſſeret, poſtquam
affectata quadā recuſatione, uti præ-
tur, diu proceres & populum ſuſpen-
diſſet. Tenuit autem principatum ad
annum cIɔ Iɔc vi; quo tempore multæ
calamitates, & præſertim diriſſima fa-
mes, Ruſſos afflixit; ipſeque vitam la-
mentabili exitu clauſit. Rem geſtam
ita deſcribit Thuanus lib. cxxxi.
Ioanni Baſilidæ (inquit) præter Theo-
dorum alter erat filius Demetrius,
biennio ante mortem è nobiliſſ. juven-
cula ſuſceptus, hoc eſt, anno cIɔ Iɔ
lxxxii; qui ad Vieliciam, longe diſſi-
tam, c à Moſcua metropoli milliari-
bus, educabatur. Boriſſius, qui ſuper-
ſtite Theodoro iam tum tyrannidem

image
not
available

prævortiſſe, ſuppoſito in ejus locum
puero ætate & ore perſimili, qui à ſ-
catiis non per ſcalas deſiliens, ſed in
lecto jugulatus eſt, Demetrium autem
verum in tutum ſubduxiſſe, ſtatimque
ſuppoſiti cadaver à Germano aulæ
magiſtro, qui aſtum excogitarat, ne
agnoſceretur ſarcophago incluſum ſi-
ne ulla pompa terræ mandatum eſſe.
interim famam ſparſam, quaſi Deme-
trius peſte abſumptus eſſet. Vt ut ſit,
in Poloniæ & Moſcoviæ finibus ali-
quot poſt annos comparuit homo,
qui altero brachio breviore & verruca
in facie, quæ in vero Demetrio olim
notata fuerant, ceterum ingenio acri,
præſentia animi, liberalitate, comita-
te non indignum, ſe regali proſapia fe-
rebat. is Ieſuitis patribus, qui in Po-
lonia pollebant, primum innotuit, &
ſpem fecit, ſi ad regnum paternum re-
cuperandum adjuvaretur, fore, ut pri-
mam ac præcipuam cultus divini in
imperio Moſcico inſtaurandi, & illius
ad Eccleſiæ unionem adducendi cu-
ram haberet. res initio tecta, mox ro-
prius Pontifice, ut negotium, quod ad
bonum religionis & amplificationem
Sanctæ Sedis pertinebat, opibus pro-
priis & commendatione ſua apud Po-
loniæ Regem & regni proceres adju-
varet.

Digitized by Google

image
not
available

Ruſſiam iter faciens Coſacos genus hominum bella externa & prædas ſectantium ſibi conciliat, & ingentibus promiſſis oneratos in regnum paternum, ut ajebat, ex iis x cIↃ ſecum ducit. Boryſthene ſuperato ad Zernigam extra limitem caſtra primum poſita, & Demetrii regni legitimi heredis nomine deditio imperata; ac citra vim facta, Ioanne Takmenio, qui cum Boriſſio ſimultates exercebat, in partes novi principis tranſeunte. Coſacis præerat Corelas homo præſtigiis magicis notus, qui Putinnæ obſidendæ auctor, urbis populoſæ, quam Michelovitzius Soltekovius, cum VIII cIↃ Coſacorum Volgodenſium tenebat, Michelovitzio primum detrectanti ad extremum perſuaſit, ut urbem dederet, & Demetrii partes ſequeretur. Boriſſius inter hæc copias inſtruit c bellatorum cIↃ conſtantes, & ante omnia ad Sigiſmundum & Poloniæ Senatum legatos miſit, commemoratoque fœdere, de pace ſive induciis inter utramq; gentem, ipſos de ſacrilinne ejus interpellavit, & ementitum Demetrium, ſacerdotis nefando conceptum filium, & magicis præſtigiis infamem ſibi tradi vivum vel mortuum petebat, & ne auxiliis juvan-

tur

image
not
available

deſertus minime ſe deſeruit. is ſecum, ut religionem & pietatem ſuam omnibus approbaret, duos è Ciſtercienſi ordine Theologos duxerat, qui caſtrenſis vitæ & incommodæ viæ pertæſi, poſt aliquot dierum iter ad ſua reverſi ſunt. præterea etiam duos è ſodalitio Ieſuitico, Nic. Czerracovium, & Andream Lovitzium, qui expeditionis auctores conſtanciam ſervaverant, & hominem per ſe ſatis bene animatum aſſiduis hortamentis & propriæ patientiæ exemplo ad rem ſtrenue perſequendam incitabant, ipſe bona conſcientia, uti præ ſe ferebat, fretus, cum ad manus veniebat, ita Deum compellare ſolitus erat, ut ab omnibus audiretur, & hac oratione fere utebatur, manibus expanſis & oculis in cœlum erectis: Me, inquit, juſtiſſime Iudex, prius fulmine perime, me primum dele, huic Chriſtiano ſanguini parce, ſi injuſte, ſi avare, ſi impie, hoc quod vides molior. tu vides innocentiam meam; juſtam cauſam adjuva. tibi me, cœlorum Regina, & meum hunc militem commendo. Quæ ſi vere referuntur, ne vere ille Demetrius fuit, oportet eum aut præſtigiatorem graviter impudentem fuiſſe, qui cum ſciret, quæ diceret.

image
not
available

Ociopelus quoq; captus eſt. Mox & univerſa Severia, qui eſt principatus ampliſſimus, ac præterea VIII caſtella in fidem accepta ſunt. Magna moderatione Demetrium victoria tam inſperata uſum memorant, qui hæc ſcribunt, de cetero ſollicitum, quomodo Cromo arci à reliqua exercitus hoſtilis parte arte cinctæ in tempore ſubveniret. ſed cognito ex literis interceptis obſeſſos aliquandiu ad ſuſtinendū [illegible] pares eſſe, conſilium ſuſpendit, minime accelerandum ratus, ne tantæ victoriæ fructum tentata temere prœlii alea amitteret. interea dum ad Putivolum ſedet, eventum operiens variis inſidiis petitus eſt, miſſis à Boriſſio, qui venia admiſſorum promiſſa inſuperque præmiis præpoſitis Ruſſos ad Demetrium interficiendum aut captivum ſiſtendum invitarent: additum præpotens telum ab Archipopo, (ſic Patriarcham ſuum vocāt Ruſſi,) mandatum, quo cuncti rebus Demetrii faventes extra Eccleſiæ communionem poſiti pronuntiabantur. re ex captivis quæſtioni ſubjectis & literis inter ocreas inſertis cognita, nihil inclementius in eos decrevit, ſed venia conceſſa literas ad Archipopum humaniſſimas dedit, quibus cū officii admonebat.

image
not
available

genſis, qui Gaſparem fratrem habebat imperatoris Moſcovitici domeſticum. continuo Petrus Baſmanius, qui magnas res ſub Boriſſio geſſerat, cum ſummo imperio ad exercitum mittitur. Ad Cromi obſidionem hærebat Ioannes Hodunius cognatione Boriſſio proximus, in qua ante & poſt Boriſſii obitum, & obſeſſi, & qui loci oppugnabant, nihil reliquum ad ſummam virtutem fecere. decies vis facta, & toties ſumma ab obſeſſis pertinacia repulſa. De exitu veritus Demetrius Zaporium cum delectis ad opem laborantibus ferendam miſerat, qui aſtu, cum vi non poſſet, metum & trepidationem per hoſtium caſtra ſparſit. ſimplicem hominem, qui deceptus alios deciperet, ad obſeſſos in ſpeciem mittit cum literis, qui xL. cIↃ auxiliarium in propinquo eſſe nũciaret, eaq; ſpe obſeſſos ad conſtantiam hortaretur, eum per viam ab hoſte inſidiſſam ut caperetur deduci curat. igitur captus cum literis & tortus, cum eadem quæ literis ſignificabantur, quippe vera credens, confirmaret, ingens tumultus & ſeditioni propior in caſtris ortus. Hodunius præmiſſis [illegible] mille & cc equitibus aditus omnes ad obſeſſos inſideri iubet. ipſe reliquum

ex-

Digitized by Google

image
not
available

rant, è fuga retractus, quod coram Demetrio caput inclinare in ſignum ſubjectionis & Knefaris titulum tribuere detrectaſſet, in vincula eſt conjectus. in Boriſſi caſtris LXX machinæ repertæ, & quædam tantæ magnitudinis, ut ſingulas bini viri brachiis circumdatas vix complecti poſſent. ut in caſtris, ſic & Moſcuæ ſecuta animorum magna inclinatio, & jam ad Demetrii nomen populo exultante, uxor vidua defuncti cum filio & filia in cuſtodiam data fuerat: ubi hauſto veneno mater, quæ ſibi ob mariti odium & à Demetrii adventu metuebat, ultro periit, quod & filio & filiæ pariter, ut eos ludibrio victoris eximeret, propinaverat; & filius quidem ex eo pariter periit. filia contrario poculo ſtatim ſumpto ſervata eſt. ita ſcribunt, qui Demetrio favent. nam alii juſſu Demetrii cum filio matrem veneno necatam, filiam ad ſtuprum ſervatam tradunt. magnum ad eam converſionem momentum attuliſſe dicuntur Germani, qui in Boriſſi caſtris militabant, qui transfugientes ſecum multos traxere. Biduo poſt ſolutam Cromi obſidionem magno procerū conſenſu Demetrius Moſcuam petiturus viam ingreditur. Cromo Tullam ità

ſtipat

image
not
available

terva ſtipante: deducentibus Popi
princeps ad templum B. Virgini ſa-
crum venit, precibusque conceptis in-
de ad D. Michaelis archangeli ædem,
in qua parens ejus humatus fuerat,
ducitur: in quo cum reſciviſſet Boriſ-
ſium ſepultum eſſe, è veſtigio cadaver
erui, & in aliud ſacellum humilius ex-
tra urbem transferri mandavit. ædes
ejus peculiares tranſiens aſpicere non
ſuſtinuit, ſed miſſis operariis ſtatim
dirui juſſit, addita cauſſa, quod magi-
co maleficio infames eſſent: & ſtatua
in loco ſubterraneo collocata diceba-
tur, lampadem ardentem manu ge-
ſtans, artificio in ſpeciem ſuperſtitio-
ſo, & defoſſo ſubtus pulvere nitrato
copioſo, rebus ita attemperatis, ut de-
ficiente oleo & diſrupta lampade
ignis pulveri illapſus, domum à fun-
damentis convelleret, & proximas
cum in aërem tolleret. ſed fraude de-
tecta ſtatua antequam artificio ſuo
noceret, comminuta ferebatur. quod
illi ſuperſtes Boriſſius, idem mortuo
Demetrius objectabat; ut ſunt fre-
quentes admodum illis locis de magi-
cis præſtigiis ſuſpiciones ac querimo-
niæ. Novus princeps inde in regum
palatium protinus migravit, & pu-
blicam imperii adminiſtrationem ad
de ca-

image
not
available

et ad ea accedente contemptu, commotis proceribus Matthias regnum cum adjunctis & ex eadem ſucceſſione venientibus provinciis vivo videntique fratre Cæſare creverit. inter hæc ſeveritatis initia inſigne fuit clementiæ exemplum, quo Demetrius erga Theodorum Suiſcium Romani fil. è Boiarico genere virum primarium ad mitigandam proſcriptionū invidiam uſus eſt: quæ ipſi fatalis fuit, occulto Dei judicio ita res temperante, ut eſſet, qui debitæ pœnæ per benignitatis oſtentationem exemptus, ceteros immerita pœna affectos ulciſceretur. is novi imperii pertæſus & pejora in poſterum metuens, ſpreto periculo, cum cuncti in adulationem effuſi ad pedes novi regis prociderent, ſolus fere pertinaciam ſervavit, contumacia ſua ejus iram provocans, ac præterea injurioſis de ipſo ſermonibus ſparſis, quaſi advena & terræ filio, qui de Ruſſici imperii templis cum infeſtis regni hoſtibus (Polonos his verbis deſignabat) evertendis cogitaret, & antiquam nobilitatem aſcitis novis hominibus omnino exterminare in animum induxiſſet. ea de re cum ſe in procerum Senatu multis verbis (erat enim perſuadendi efficax) purgaſſet,

capitis

image
not
available

brevi per profuſiones conſumpta,
aut ad oſtentationem credita, cum
ipſo evanuerunt. Dicta dies inaugura-
tionis ad kal. ſeptemb. fuerat, à qui-
bus Ruſſi annum ſuum, ſicuti & Iu-
dæi olim, auſpicantur. ſed multis de
cauſſis anticipandum ratus, quintili
deſinente ſolemnitatem celebrari vo-
luit: & ante eam, ut fides legitimæ
ſucceſſioni aſtrueretur, matrem De-
metrii, quæ poſt filii cædem falſo cre-
ditam Boriſſi juſſu procul à regia exi-
guo monaſterio incluſa fuerat, accer-
ſiri placuit. miſſus ob id honorificen-
tiſſimus comitatus, & venienti ob-
viam ipſe pietate adfectata proceſſit,
conſpectaque longe ex equo deſiliens,
pedibus aliquanto ſpatio iter fecit, &
cum lacrimis in complexum ejus ruit,
& aperto capite ac pedes currum ma-
ternum ad arcem uſque proſecutus
eſt: unde illa paullo poſt in monaſte-
rium, in quod totius Ruſſiæ virgines
& viduæ nobiliſſimæ de more ſe-
dunt, cum gynæceo ſuo migravit. To-
to hoc tempore à curioſis obſerva-
tum, tanto ſive vero ſive ſimulato
cultui matrem veri Demetrii. pari af-
fectu reſpondiſſe, quæ ex triſti ſolitu-
dine in lætam frequentiam retracta
non poterat vel falſi Demetrii, cujus
has

image
not
available

ſborum. ſuſpecta ingenia opibus
munire ſe decreverat, benivolen-
cia captanda ſumptoq; Non dubitant
quin Rex & univerſus regni ſenatus
magnam ceperit ex eo voluptatem,
quod ſpe & omni opinione citius in
paternum & antiquum regnum reſti-
turus ſit. ea in re & ſummam Dei be-
nignitatem, & regis cæterorumque
regni procerum, quibus ſecundum
Deum hanc gratiam debeat, bene-
ficium agnoſcere, nec ejus unquam
fore immemorem. Cæterum animo
verſanti, quomodo Chriſtiani nomi-
nis ac religionis fineis amplificare poſ-
ſit, moleſtiſſime accidere, quæ per
tot annos damna ab infeſtiſſimo Tur-
corum tyranno regno ac ditionibus
Chriſtianis impune illata & inflicta
audiat. dolere inſuper ſibi, Hungariæ
regnum olim florentiſſimum tot vul-
nera ab eodem accepiſſe, & cottidie
accipere; quod non probro invictiſſi-
mi Imperatoris Rodolfi dicat, cujus
cura & potentia ſciat injurias à teter-
rimo vaſtatore illatas pari fortitudine
vindicatas eſſe. nec mediocriter ani-
& tacita cogitatione cruciari, quod
loca illa ſanctiſſima CHRISTI veſtigiis
impreſſa, ejuſdemque vita, miraculis
ac precioſo ſanguine conſecrata, à
crudelis

image
not
available

capiat, & de fœdere contra Turcos libenter aſſentiri, ea tamen in re nihil niſi de communi procerum ac totius Senatus conſenſu poſſe decernere. Quod vero Sendomirienſis Palatini filiam in uxorem petat, non ſolum ſe volente, ſed optante id, illi facere liberum eſſe; ex eoque matrimonio, ut Dei gloria amplificetur, & æternum inter potentiſſimas gentes fœdus ſanciatur, à divina majeſtate viciſſim petere ac ſperare. Secundum hæc octavo poſt die fiduciariæ nuptiæ contractæ, præeunte in verba Bernardo Macziejovſki epiſcopo Cracovienſi Cardinali, epulo opimo nupta & parens ejus cum Legato Moſcico à Rege excepti ſunt. menſæ aſſedere cæterorum Principum & Regis Perſarum, qui tunc in ea aula erant, oratores. pro bellariis dona à Demetrio nuptę & parenti ejus miſſa ſunt allata, quæ cc aureorum cıɔ æſtimaſſe memorant qui hæc ſcripſere.

Moſcicam ſponſam, cum Moſcico legato, parente, & patruo ſponſæ, & toto gynæceo lente incedentem multi comitati fuerant, ſtudio longinquas provincias luſtrandi & nuptialium orgiorum occaſione tanti imperii magnitudinem & opes in publi-

cam

image
not
available

ad magnificentiam comparatis curſu inde in conclave regaliter inſtructum deducitur, & poſtridie poſt preces veſpertinas ſolemnia celebrata ſunt, verba faciente Ruſſorum Patriarcha. Regina itidem coronam ſumpſit ſollemni ceremonia; in qua ſceptrum, pomum, & enſis Imperatori marito (hos enim titulos Ruſſorum princeps ſibi ſumit) prælata. corona Imperatricis capiti imponenda, pulvinari holoſerico rubri coloris itidem prælata: templi parietes aulæis ejuſdem coloris aureo filo fimbriatis regia magnificentia velati erant. inde vir & uxor uterque coronam capiti impoſitam gerentes eadem pompa inter grandem muſicorum & bellicorum inſtrumentorum ſtrepitum in arcem reducti ſunt: ubi nox, ut in tali re, hilariter tranſacta, non tamen vacuo à gravibus curis Demetrii animo. multa illum conjuratione ante VI menſes adulta & jam urgente terrebant: adverſus eam externas opes & præſidia novus princeps parabat. & jam ab initio Germanos ſatellites ex Polonia adduxerat: quod cum Ruſſos ægre ferre intelligeret, tanquam qui plus peregrinis hominibus, quam indigenis regnorum ſuorum ſubditis fidere,

Digitized by Google

image
not
available

armorum genus, quod pertuſanas appellant. ſerentium centurio erat lambus Margaretus Sequanus, quem nos poſtea vidimus. Veſtitus iis ex holoſerico auro intertexto. Inter Anglos Matthias Cnotſemius, inter Senens Albertus Lanta centurionis officio fungebatur. iis arma bipennes, & veſtitus ex holoſerico feſtis diebus, profeſtis ex rubeo panno optimo. Tum ſtipendia ſolito majora & pro dignitate procedebant, ſera & infirma adverſus peſtem imminentem ſubſidia. Paullo ante diverſo itinere Polonicus legatus venit Alexander Goſenskius Corvinus, cum donis multi pretii: qui literas à Rege ſuo ad Demetrium habebat; quæ, quia Imperatoris & Monarchæ titulus aſcriptus non erat, nec acceptæ nec reſignatæ ſunt. iis excuſandis acria nec Ruſſis ferenda verba à legato addita; ſiet, & Turcorum tyranno hos titulos eriperet. quæ tamen caute Demetrius diſſimulavit, opes Polonorum jam ſalutareis expertus, & in poſterum neceſſarias judicans. Dies ſequentes inutiliter inter ludos & deſidiam conſumpti. qui muneribus mercatorum pro more gentis accipiendis impenſus eſt, in Saturni diem incidit feſto tunc inter Ruſſos maxime ſolemnum,

image
not
available

inhiabant, qui & tantam de ea fidu-
ciam ceperant, ut, ne mora langueſce-
ret, minime vererentur. Demetrius
initio præſidens, cum demum metu-
re cepit, & Polonos, ut ſibi caverent,
monuit; ipſe ſatellites novos omnes
in aulam accerſivit. jamque dies ve-
neris inierat, & cum hinc ad defenſio-
nem Poloni, hinc Ruſſi contra eos ſt
pararent, (nam inter eos ſolum, non
etiam contra principem, certamen fu-
turũ putabatur,) ſub veſperam à pro-
ceribus populo denunciatur, ut poſtri-
die in armis præſto eſſet: imperatrice
interim ſecura, quæ ingenti magnifi-
centia epulum Dominica die celebran-
dum apparabat. verum non ulterius
cunctandum rati cõjurati, ſaturni die,
qui in XVI kalendas junias incidebat,
ſummo mane conveniunt, aggregan-
te ſe ad eos non ſolum nobilitatis glo-
bo, ſed plebeia multitudine: moxque
inter eos promiſcuus tollitur clamor
ad Polonorum & Demetrii cædem ſe
cohortantium. alii prædæ avidi con-
feſtim ad Polonorum hoſpitia prope-
rant, eaque obvallant, expugnant, di-
ripiunt, cædibus cuncta permiſcent.
alii ad arcem tendunt. rati in ea ſtati-
liter, quaſi mora in Demetrio ſecul-
tatem, in conjuratis alacritatem au-
gem.

image
not
available

vitam ſceleratam ei injurioſe expro-
braret, ille, ut erat ad iram promptus,
acinacem, quem geſtabat, ſubito ſtrin-
xit, tantaque impetu libravit, ut ho-
minem humi uno ictu ſtraverit. inde
ad proceres converſus humiliter ro-
gavit, ut ſibi populum alloqui liceret,
& quicquid erat palam confiteri quod
illi negarũ. Alii aliter narrant, & cum
ſe premi videret. à Suiskio contendiſ-
ſe, ut de impoſtura ſibi objecta per Io-
annis Baſilidæ, quæ in vrbe erat, uxo-
rem veritas exquireretur. nam ſi qui-
dem illa ſe Demetrium non eſſe dice-
ret, non recuſare, quin protinus mor-
te afficeretur. Suiskium autem ſemi-
nam è proximo monaſterio accerſi
juſſiſſe. quæ coram proceribus religio-
ſe ſacramento adacta, Demetrium Io-
annis Baſilidæ ex ſe genitum filium,
ante plures annos inſigni Boriſii per-
fidia immaniter occiſum eſſe affirma-
vit: ſe vero ad tantum populi favo-
rem ac concurſum initio diſſimulaſſe,
neque ægre vidiſſe & tuliſſe eum, qui
teterrimo tyranno dejecto Demetrii
veri ultorem à Deo ſuſcitatum puta-
bat. quibus intellectis, cunctos in im-
poſtorem è veſtigio ruiſſe, eumque
multis vulneribus confeciſſe. Hæc ita
in Petri Paterſoni Vpſalenſis, qui in

Ruſſia

image
not
available

tione coluerant. Sendomirienſem, quod diverſorium delectis firmatum haberet, inſeſſis aditibus claudere contenti, ad aliorum Polonorum domos diripiendas diſcurrunt, multi ſe gnaviter defenderunt, nec inulta morte ad extremum numero victi ceciderunt. unus Viteneskius cum Ruſſorum impetus cum multa cæde aliquoties repuliſſet, ubi machinas adduci vidit, vexillum album in deditionis ſignũ extulit, pecunia per ſuos, qua patebat aditus, (ſic enim juſſerat,) ſparſa; cui legendæ intento vulgo, ipſe cum ſuis gladio ſibi viam aperuit, magna ſtrage edita, & mox à Boiaricis ex arce ſupervenientibus in fidem eſt receptus. Miſera ſponſa non ſolum inæſtimabili gaza, ſed mundo domeſtico ſpoliata, tantum de patre & patruo ſollicita, belle ſecum actum iri putabat, ſi omni re exuta, cæterum vita ſalva in patriam, unde cum tanta pompa nuper venerat, reduceretur. interea precarium ſpiritum ducens exigua ſpe, dum vulgi furor deſæviret, ſine veſte qua ſe tegeret, ſine lecto cui incubaret, vili induſio velata exſpectabat. Nec militares tantum viri, & qui Demetrium ſecuti fuerant, ſed mercatores multi male habiti. Ambroſius Celi-

tus

image
not
available

ranni odio, Proceres & cognati, & amici cariſſimi, multa à me admiſſa agnoſco, quorum piget pœnitetve; ſed præcipuus erga principalem familiam cultus, & patriæ caritas culpam excuſare debet, & jam in ea emendanda vobiſcum non parum elaboraſſe videor. Deus maximo huic inter Chriſtianos imperio principes antiqua origine & longa ſerie ductos dederat, quos Ioannes Baſilides ordine ſucceſſionis excepit; qui quantumvis à multis injurioſe proſciſſus, tot regalis faſtigii, adjunctis ad imperium paternum regnis ampliſſimis, monumenta poſt ſe reliquit, ut quisquis imperii amplificatione gaudet, non poſſit non magnopere ejus animi magnitudinē laudare. ab eo olim miſſus pacem cum Stephano Polonorum Rege feci, ab eoque tempore ita in repub. & pace & bello verſatus ſum, ut nemo fidē, curam, caritatem meritò deſiderare poſſit. vivis exempto Ioanne res labare cœperunt, Theodori infirmitate: ad quam & acceſſit fatalis orbitas, ut non tam virtute principis, ſicut antea, ſed alieno arbitrio imperium regeretur. uxore ſterili abdicata, uti per regni leges fieri oportuit & licuit, ut aliam duceret, qui impedivit, is in imperio,

ad

Digitized by Google

image
not
available

& tamen hic aliquandiu me ſcrupulus retinuit, dum plus famæ, quam conſcientiæ & ſaluti publicæ tribuo. vicit tandem pietas, & patriæ caritas, & cum vos viderem adeo bene animatos, me ducem vobis præbui, plus de regni incolumitate & magnitudine, quam de rumoribus ſollicitus. itaque conſilium tam juſtum, tam honeſtum tam neceſſarium ac ſalutare, atque utinam non tam cruentum, concordes una ſuſcepimus, quod Deus regnorum unicus diſpenſator exitu probavit. nunc cum crudeliſſimum Tyrannum à noſtris cervicibus depulerimus, nec ſic, qui præſtigiis ſuis magicis, & impoſturis amplius Ruſſico nomini illudat, reſtat, ut extincta, pro dolor! antiqua principum ſtirpe, quem in familia non habemus, in republ. quæramus. cum autem quærere debemus, qui generis dignitate præcellat, & ante omnia majorum ſacra, ceremonias, ritus religioſe colat, cunctas virtutes ſublimitate regia dignas adjunctas habeat, experientia rerum per ætatem valeat, qui non pompa & faſtu majeſtatem regiam, ſed juſtitia & temperantia tueatur, qui firmas regnorum arces in ſuorum benevolentia ſitas putet, & populorum opes & divitias de

ærario

image
not
available

ſici infamia. Objecta itidem hæreſis, quod nec gentilitia jejunia alioſque dies feſtos, & ſollemneis in Eccleſia Ruſſica ceremonias obſervet. Inſuper datam ab eo fidem Pontifici Romano ad extirpandam majorum religionem: prolatæque Pontificis literæ, ſive veræ ſive falſæ, ut quod promiſerat cito præſtaret, & Ieſuitis templa, collegia aliaque neceſſaria abunde ſubminiſtraret, adhortantis. Prolatæ item & recitatæ literæ, quibus Smoloſcienſem Palatino Sendomirienſi ſocero, filiæ uxori Novogradienſem principatum, filiis vero ſoceri & affinibus Dibirienſem præfecturam attribuebat. Objectum & quod de magnatibus & nobilibus interficiendis, & Polonicis familiis in eorum locum ſubſtituendis cogitaret: in id ſpecie certaminis ludicri tormenta muralia producta quibus urbem oppugnaret, & in miſeram ſervitutem redigeret, & libertate Boiaricorum oppreſſa abſolutam in totum imperium poteſtatem uſurparet: querelæ item cumulatæ procerum & aliorum, quod nullus ad ipſum pateret aditus, multique non auditi à conclavis foribus per oſtiarios injurioſe repellerentur, cum Poloni ſtatus admittebantur, ſi qui audiebantur,

image
not
available

habuisset, quosdam etiam flagris affecisset. monasteria ipsa rapacitate inaudita spoliasset, grandi pecunia ab iis mutuo sumpta, quam nunquam erat redditurus. omnium etiam damnorum quæ Poloni aliique milites dederant, culpa & odium in ipsum derivabatur. ejus jussu sive prævaricante indulgentia Astracam secundum Volgam late porrectam provinciam eiusque portus omneis, omni mercimonii è Persia proxima advecti copia abundanteis, à piratis & prædonibus direptos. Postremo Polonorum tanquam in regno armis parto insolescentium superbia exaggerata, per quorum efferatam libidinem ne quidem licebat magnatum uxoribus in publicum prodire. plerasque etiam è domibus & quasi è maritorum sinu abreptas; &c. cum frequentes querelæ de hac inaudita protervia ad Demetrium deferrentur, nullum tamen in delinquenteis statutum fuisse exemplum. unum tanto tempore judicum sententiis damnatum, sed cum ad supplicium duceretur, occiso carnifice à Polonis quibus nihil non licebat impune, è lictorum manibus ereptum fuisse. Postremo ad plenam imposturæ fidem faciendam, cum sub id insolito

bito iis menſibus gelu fruges ubique adustæ eſſent, plebe jam cædibus efferata id ad iram divinam referente, inferi Demetrii corpus, quod extra urbem loco profano conditum fuerat, ſubito refoſſum, & publico judicio igni conſumptum eſt, cineribus in aerem ſparſis. Verumne an falſus hic Demetrius fuerit, fama in ambiguo reliquit, quæ ut eum nuper, diu poſtquam interfectus putabatur, blandiente primis auſpiciis fortuna ſuſcitaverat, ita rurſus poſtquam ab omnibus viſus mortuus & creditus eſt, denuo per novum ludibrium ſuſcitavit, ſparſo rumore, alium rurſus pro Demetrio in arce occiſum eſſe: ipſum autem ſe cauta celeritate cum paucis in tutum ſubduxiſſe. rumori ex eo fides acceſſit, quod in hippone [illegible] loca equis generoſis vacua in illo tumultu reperta ſunt. quos ille, ſicuti jactabatur, fugiens ſecum abduxerat. itaque qui res turbatas in Ruſſia malebant, adiunctis ſibi Coſacis genere hominum impacato & ad prædas & violentiam militarem nato, cum Suiskium regno inauguratum minus patienter ferrent, hoc colore arma ſumpſerunt, & Demetrio, nuſquam poſtea viſo, pro duce uſi, bellum cum

Suiskio

Suiskio obstinate gerentes diu post Russorum credulitati illuserunt, fidemq; primo Demetrio habitam hac nova impostura non mediocriter infregerunt. Post scriptum hoc ad leniendam facti invidiam publicatum prima cura fuit, ut legatio in Poloniam decerneretur. Serius legati à Sigismundo admissi; cum motibus domesticis in regno laboraretur, ineunte januario. De Sendomiriensi, qui interim arctiore cum filia custodia tenebatur, præcipue querebatur novus princeps, illum clandestinis artibus, largitionibus ac promissis, multorum in Russia animos sibi conciliasse, eorumque ope & auxilio maledictum illum monachum necromanticum & spurium (sic Demetrium vocabat) in Russiam cum filia traduxisse, qui nefarie occupato regno peregrinam religionem cultumque Dei his regionibus ignotum introducere, templa præcipua occupare, & tantas turbas dare ausus esset, ut cc amplius summæ dignitatis proceres in iis perierint. Ceterum cum apud ipsum inventæ sint literæ quæ fidem faciant, hæc omnia consiliis & ope Polonorum facta esse. itaque rogare Suam Majestatem Russorum proceres diserte re-

ſpondeat, an qui earum rerum particeps fuerit, & conſenſu ſuo probaverit. nam ſi juſſu ſuo facta ſunt, ſuam [illegible] ſatis intelligere, pacem à deceſſoribus tam religioſe juratam eo facto violatam eſſe, & belli inter eos [illegible] reſtare. præterea petere, ut pecunia & alia ab impoſtore illo in Poloniam tranſmiſſa, ſi pacem malit, reſtituantur, & bona mercatorum à [illegible] vero dominis reddantur. niſi faciat, decreviſſe bellum ipſi denuntiare ac in Poloniam cum potenti exercitu deſcendere, & conjunctim cum Carolo Sueco Sudermanniæ duce copiis tantas minitas manu armata [illegible]. Ad hæc Sigiſmundus, qui motibus inteſtinis regno laborante, gentem præferocem nollet laceſſere, ſumma moderatione præterita excuſavit, nihil ſe aut Sendomirienſem feciſſe, quo pacem inter Polonos & Ruſſos juratam violaſſe dici poſſent. legitimum heredem, quem talem ſemper credidit, in regnum reductum. eo ſublato reſtare, ut damna utrinque accepta ſarciantur, & paci inter utramque gentem inſtaurandæ rationes quamprimum ineantur. Ita ſine belli neceſſitate diſceſſum. Interea Poloni & Germani aliique ad ↄ I ↄ Iↄ

caute

eaute à Suiskio novo principe ad exonerandam Russiam dimissi, xv kal. quintil.: quibus, quia re omni spoliati erant, singulis vestes singulæ è panno vili donatæ sunt, cum exigua stipe, quæ vix ad limitem deductis sufficere potuit; ut per vias turpiter mendicare cogerentur. in tres autem turmas divisa omnis turba, ne quid conjuncti in limite molirentur: ccc via quæ Smolenscum ducit, ɪↄ in Livoniam, & ɪↄ cc per Vidim & Ploschoviam deducti sunt.

Extat apud Purchasum exemplar literarum ipsius Basilii Iohannis fil. Suiscii ad magnæ Britanniæ Regem; quibus inter alia scribit, Demetrium illum fuisse vero nomine Yovvshco, Bovvgdani Otreapyove fil. in oppido Galitz: & in monasterio Chovvdo attonsum, ob crebra facinora tandem fuga se subduxisse in Lithuaniam, ibiq; Polonorum instinctu technas hasce commentum, quæ Russiam tantis cladibus cumularunt.

Porro Suiscii haud melior fortuna neque fama fuit; quippe quem malis artibus & Tartarorum ope multos nobiles sibi suspectos interemisse scribunt, & inprimis tres fidos sibi ministros, cognomine Michaëlides; quia è

sorti-

ſortilegis & divinis intellexerat, quemdam Michelowich ipſi in principatu ſu[illegible] durum. Poloni quoque haud ſegnes novum Demetrium in ſcenam produxerunt, (&, ſi vera narrant Angli, etiam conjugi alterius per hunc illuſerunt, licet hic priori omnino eſſet diſſimilis.) qui quum metropolim Moſcoviam arcta obſidione jam premeret, auxiliis per Sueciæ Regem Ruſſo ſubmiſſis territus ſuos deſeruit, & noctu cum paucis aufugit. Interim Poloniæ rex cum maximis copiis in Ruſſiam deſcendit, & Smolenskam obſidet, & mox alter Polonorum exercitus una cum novo hoc Demetrio Moſcuam. Suiſcius denique, ad extrema redactus, quum monaſterium eſſet ingreſſus, a furente vulgo extractus, & Polonis una cum arce ſua traditus. Poloniæ quoque Rex poſt diuturnam obſidionem Smolenska potitur, anno 1612, menſe Julio, & cum captivo ſuo in Poloniam revertitur. Longum eſſet, neque hujus operæ, referre omnia quæ crudeliter utrimque in Ruſſia geſta fuerunt; Hiſtoriographis iſta relinquimus.

Poſtquam Suiſcius in hunc modum principatu excidiſſet; mera anarchia in Ruſſia aliquandiu fuit. Nam auſtrales

ſtrales Ruſſię provinciæ ad Vladiſlaum Poloniæ Principem ſe applicuerunt; ſeptentrionales alium requirebant; relicta Demetrii cum novo marito res novas in Aſtracanenſi provincia moliente. Legatio ad Poloniæ Regem decreta, & pacta quæ inter ſupremum exercitus Poloni præfectum & quoſdam Ruſſiæ magnates interceſſerant ex parte confirmata: à quibus tamen Ruſſi, animorum inconſtantia, & peregrini dominatus metu, quantocius reſilierunt; multum indignante Polono, qui & Cancellarium Ruſſiæ Albertum Iuanoviz Mſciſlavvsky detinuit.

Dum omnia in Ruſſia perturbatiſſima ſunt; quietis lux affulſit ex inopinato unius hominis, & quidem ignobilis, audaci pariter & forti facinore. Is fuit (uti memorant) lanius quidam, vir robore præſtans. qui circa Dvvinam in partibus ſeptentrionalibus, in nobilium ignaviam & quæſtorum rapinas invectus apud vulgus, author ipſis fuit ut fortem aliquem virum in Ducem ſibi legerent, & fidos quæſtores conſtituerent, atque ita forti animo Polonos è finibus ſuis eliminarent. Aſſenſit vulgus, & ipſius conſilio uſum, nobilem quendam inopem,

pem,

[illegible]em, ſed militiæ valde gnarum, & rebus bene geſtis clarum, atque è vulneribus quibuſdam acceptis jam debilem, (Pozarski illi nomen,) ſibi in Ducem elegerunt, & ſumtus ſuo ærario, quod promte ab ipſis congeſtum, præ[illegible]. Utrique autem tam fideliter & fortiter ſuis partibus functi ſunt, ut magnus exercitus quatriduo collectus, & Moſcovam ductus, Polonos ab obſidione arcis diſcedere coegerit. Deinde Knezio Demetrio Maſtrucovvich Tartaro, qui alia parte cum exercitu Coſaccorum res gerebat, ſibi adjuncto, cum Boriſſo Lino, ſumma laude inter Ruſſos claro, deliberare cœperunt de eligendo Principe qui univerſis Ruſſis imperaret. Variatum primo ſententiis, ſed tandem convenit, filium Cancellarii in Polonia captivi Michaelem Fhederovvich in Ruſſiæ Principem aſſumere. Legati deinde ad vicinos reges & principes, nec non longinquos miſſi. &, legatis magnæ Britanniæ regis, aliorumque Regum, principumque, atque adeo & fœderati Belgii Ordinum generalium, annitentibus, pax cum Sueciæ Rege, & induciæ cum Poloniæ Rege perfectæ; & pater Principis è carcere dimiſſus in Ruſſiam rediit, &, Patriarchæ digni-

dignitate assumta, rerum summam una cum filio feliciter hactenus moderatur.

IX.

De Samoëdarum moribus.

A Belgis nostris fuit observatum, Samoitarum habitum & mores feritatem quidem preferre; esse tamen ingenio satis capaci & ad res percipiendas idoneo, quum & de maris vicini natura apposite responderent. Vestitum habent è pellibus renonum, quibus à capite ad calcem usque muniuntur. Coma omnibus promissa, eaque in cirrum composita de scapulis propendet. Statura illis brevis, facies lata & plana, oculi parvi, crura brevia, genubus prominentibus. Agiles sunt, cursu juxta valentes atque saltu. Trahas eorum, renones promovent, tam celeri cursu ut equos superent. Sunt idololatræ, habentque sigilla quædam lignea, impolita & rudia, quæ numinis loco colunt precibus & sacrificiis. Nullas habent urbes, sed gregatim in campis degunt, reguntur que à senioribus aliquot. In victu sunt immundi; victitantque ferina fere; frugum panisque penitus ignari. Optimi sunt sagittarii: accepto namque nummulo,

& ſtipiti affixo, tam certo è longinquo [illegible] videre illum poſſint [illegible] [illegible], ut miraculo ſint intuentibus. Arcu e ligno lento & flexibili quodam [illegible] fabricant, [illegible] ſagittas lapidibus acutis aut piſcium ſpinis aſperant: eaſdem ſpinas pro acubus uſurpant, uti & nervos quorundam animalculorum pro filis. Tuguriola ſua pellibus alcium & ſimilium animalium contegunt. Divitiarum ipſis magnus contemtus, adeo ut ne pretioſas quidem pelles, quibus ſupra modum abundant, ullo loco habeant.

X.

Magnus Moſcorum Dux.

MAgnus Dux Moſcorum eſt dominus ampliſſimæ regionis, inter cujus fines comprehenduntur multæ ditiones. Septentriones verſus pertingit ejus ditio ad Oceanum ſeptentrionalem, protenditurque à ſinu Graduico ad Oby fluvium: à meridie continuatur ejus imperium, ſecundum curſum fluvii Volgæ, ad mare Caſpium uſque: ad occaſum attingit fines Livoniæ, habetque fere pro termino Boryſthenem, ſicut ab ortu Volgam. Dicunt aliqui, totum hoc Imperium in longitudinem pro-

tendi ad tria milliarium millia, in latitudinem ad mille quingenta, quo spacio continentur 15 Ducatus, 16 Provinciæ, & duo regna. Mosci quondam Tartaris subditi erant: nam Boido eorum Princeps anno 1140 subjugavit totam Moscoviam; sed Iohannes I Magnus Dux confisus discordiis Tartarorum, qui se mutuo vexabant, negavit eis tributum. Progressu temporis, cum à Tartaris Precopensib⁹ superatus esset Ammetes, ultimus successor Boidi, qui mortuus est Vilnæ, adjunxit Magnus Dux suæ ditioni Permiam, Veatiam & Iugriam, quæ Ammeti subditæ erant. Crescentibus itaque semper magnorum Ducum viribus, cepit Basilius Cazan, & Iohannes II Citrachan provincias, quæ nomina regnorum habent. Vt dicatur quod verum est: Magni Duces valde dilatarunt suum imperium: ceperunt magnum Ducatum Severiensem & Smolocensem, Bielschiensem, Prescoviensem, Novoguardiensem, Iaroslaviensem, Roscoviensem, partim à Polonis, partim ab aliis principibus: occuparunt magnam Livoniæ partem, feceruntque se terribiles vicinis. Principes & primariæ civitates harum provinciarum sunt

Mos-

Moſqua, ubi Metropolita habitat: Roſtovia & Novoguardia ſedes Archiepiſcoporum: Gortita, Retania, Columna, Suſdelia, Caſanum, Vologda, Tueria, Smolenczo, quæ Epiſcopatus ſunt: deinde Pleſcovia, Porcovia, Staricia, Slaboda, Iaroſlavia, Volodomeria, unde Imperii ſedes translata eſt per Iohannem II in civitatem Moſquam, Moſaiconum Nicolai, Sugana, Vſtiud, Cargapolia. Princeps habitat in civitate Moſqua, quæ nomen ſumit à Moſco flumine, quod 90 miliaria altius oritur. Fuit civitas Moſqua quondam major, quam nunc eſt, habebatque in circuitu novem miliaria, ſed poſtquam anno 1570 direpta, flammiſque tradita fuit à Tartaris Precopenſibus, non habet nunc in ambitu ultra quinque miliaria, ſtabulanturque in ea cum hominum 30 millibus boves, aliaque talia pecora, ſecundum relationem, quam Poſſevinus, non minus judicio bonus, quam diligens ſcriptor fecit. Novoguardia cognomen magnæ habet, & tamen idem ſcriptor ei attribuit ultra 20 habitatorum millia, ſicut & Smolenzo & Pleſcoviæ. Quod mihi difficile creditu videtur, ſi verum eſt quod alii ſcribunt, ſcilicet quod cum

cum Plescovia obsideretur à Stephano Rege Poloniæ, in ea fuisse 50 peditum & 7 equitum millia: is numerus adeo magnus est, ut quamvis totus ex indigenis compositus non fuisset, requirat tamen frequentiam hominum supra dicta majorem. Vbi enim princeps intrudit implicatque 57 pugnatorum millia, necesse est, ut ordinarius inhabitatorum numerus multo major sit. Volunt quidam hanc regionem præteritis temporibus frequentius inhabitatam fuisse: sed quod postea tribus de causis habitatoribus infrequentior facta sit: prima fuit pestis (res nova in Moscovia) quæ multa hominum millia abstulit: altera principum crudelitas, qui multos, potissimum nobiles, occiderunt: tertia excursiones & deprędationes Tartarorum Precopitarum & Nagaiorum, qui nunquam quiescunt, nec vicinos quiete frui sinunt: non deprædantur solum agros, sed & abducunt totos populos, quos postea vendunt Turcis, aliisque gentibus. Vt uno verbo dicam, Magnorum Ducum irruptiones in longinquas regiones magnam fecerunt vastitatem.
Nulla in re melius perspicitur principis prudentia, quam in bene dispiciendo, quæ

quæ expeditio ſuo ſtatui ſit futura damnoſa aut utilis, & dum duci ſe non patitur vana ſpecie amplitudinis arripiendæ, quæ non ſit ei futura firma & ſtabilis, ſed ſecuritatem ſuam turbatura. Is enim, qui ea ſpe ductus ut ſtatum ſuum amplificet, eum aut populo aut opibus enervat, mihi ſimilis eſſe videtur illi, qui ut muros & tecta ſuæ domus altius tollat, conſcindit fundamenta ædificii. Totius dignitatis caput eſt, conſervare: ſed acquiſitiones illæ, quæ fiunt diminuendo vires proprias, illi legi adverſantur: cumque acquiſitiones ſint tanquam inſitiones, conditionem imperii meliorem, non deteriorem facere debent. Sicut enim fiunt inſitiones, aut ad nobilitandam, aut ad domeſticam reddendam arborem ſylveſtrem, aut ad plantam infrugiferam emendandam, & ut fertilis ſit faciendum, ita & expeditiones principum tales eſſe debent, ut commoda & beneficia referant, alias ſunt inutiles labores, qui plus deſtruunt quam ædificant, & plus perturbationis quam ſecuritatis reddunt. Ejuſmodi ſunt ordinariè bella, quæ moventur ad acquirendum regiones longe diſſitas, quæque nihil contigui cum noſtris

stris habent. Cum enim tam procul absunt, requirunt majora præsidia, quam nostræ facultates, ut eas conservemus, ferunt. Omnis itaque deliberatio expeditionum, tribus capitibus inniti debet: prima est causæ æquitas: altera facilitas vincendi: tertia fructus victoriæ. Bella autem quæ suscipiuntur sine spe alicujus fructus, sunt meræ amentiæ. Magni Duces sæpe terminos sui imperii dilatarunt, sed potentiam non auxerunt. Nemo expeditiones longinquiores, majorumque expensarum fecit, quam Magnus Dux Iohannes. Cepit enim regna Cazan ad Volgam, & Astrachan ad mare Caspium: subjugavit bonam partem Livoniæ. in quibus expeditionibus periit magnus hominum numerus, in itineribus, in præliis, adsultibus, ferro, morbo, fame, aliisque incommodis. Postquam ea acquisivit, fuit opus ibi habere magna præsidia, deducendo eo totas colonias. Cum itaque homines essent longe à domubus, implicati aut in acquirendo alieno, aut in conservanda parte, manserunt domi uxores, quasi viduæ absque prole. Cum itaque homines in extremis regni finibus consumebantur, remansit regni meditullium tam-

quam

Digitized by Google

quam eos exangue, privatamque alimentis. Cumque ab Stephano Rege Poloniæ impeteretur, defuere ipſi domi vires ad reſiſtendum. amiſit itaque Poloniam, aliaq; magni momenti loca, quæ ei erepta fuere, ac neceſſe habuit tradere Polonis totam Livoniam. Vt ad noſtrum inſtitutum revertamur: Moſcovia magna ex parte eſt occupata ſylvis immenſis, & lacubus. Sylvæ ſunt rami Hercyniæ, quæ ſe per totum Septentrionem diffundit, ſed plus forſitan in hac provincia, quam in alia. Hic arbores immenſæ magnitudinis videntur, ſuntque propter earum ſpiſſitudinem Solis radiis impenetrabiles: ex iis arboribus incredibilis reſinæ & picis quantitas effluit. Hic producitur copia mellis & ceræ inexhauſta. Apes enim abſque cura humana, faciunt alvearia in corticibus & cavitatibus arborum. Hic eſt copia omnis pecoris & ferarum, ut ſunt martures, zibellini, lupi; ex quorum pellibus fit dives mercatura. Ex his ſylvis exſcinditur fere omnis materia, tam domubus, quam munitionibus fabricandis apta. Muri enim civitatum fiunt ex trabibus ſimul conjunctis in quadrante, implentque vacuum gleba & terra: faciunt quoque ex eiſdem trabi-

trabibus turres, tantæ altitudinis & crassitudinis, ut omne tormentum bellicum, quantumvis magnum, ferant. Cito flammis corripiuntur, sed non tam cito cedunt quassationi quæ fit tormentis bellicis. Disputant aliqui, quales munitiones meliores sint, num ex lapide, aut ex calce, aut ex terra. Pro ultima sententia adducunt tales causas, quod citius fiant, & minori expensa, meliusque resistant quassationi, & quamvis facile destruuntur, reficiantur quoque brevi tempore; faciliusque mutatur (si casus & occasio necessitasque requirit) latus ex terra constructum, quam ex lapide. Sed his non obstantibus debent præferri munitiones, quæ muros ex lapide habent. Cum enim quatuor modi offendendi munitionem sint, tormenta, cuniculi, ignis, excisio, (quæ ligone & sarculo fit;) murus ex lapide, forte minus resistendo quam terra, cedendo tormentis bellicis præstabit. Sed adversus cuniculos, ignem, & excisionem, longe excellit murus ex lapide. Et ad jungendum muro quod in munitionibus, ex ligno & terra constructis, boni est, eriguntur aggeres intrinseci. De aquis nihil opus est dicere. Moscovia enim est mater fluviorum

rium & lacuum. Dvinæ, Boryſthenis, Volgæ, Dvinæ, Onegæ, Mokæ, Voliſcæ, & fama celeberrimi Tanais: lacus [illegible] eſt magna Novogardia, [illegible], multorumque aliorum. Aquarum abundantia reddit aerem magis frigidum, quam generationi animalium & propagationi plantarum requiritur, cui frigus calore [illegible] æſtimatur. Fecundæ parvæ ſunt, & ſegetes aliquando non perveniunt ad maturitatem: terra fere [illegible], ut plurimum levis eſt, & arenoſa, ideoque & ſiccitas & pluvia immoderata facile conſumunt fruges. Hyems durat novem menſes, paulo plus aut minus, & tamen hic copia eſt frugum, hordei & paſcuorum, & ex conſequenti carnium, tam ferinarum, quam manſuetarum. Moſcovia producit poma, nuces, corylos. Aliorum fructuum vix habét notitiam Moſci, qui ex piſcibus faciunt magnum lucrum; eorum ſiquidem maximam abundantiam habent. Indurant eos frigore & vẽto, ſicut fit in Norvvegia, aliiſq; in locis ſeptentrionalibus, ſervantq; eos pro bona annona tam in præſidiis munitionũ, quam in domubus privatorum. Regio non eſt multum mercaturæ dedita, quia ind-

indigenæ ſuapte natura non ſunt admodum induſtrii. Nec poſſunt ibi eſſe multa mercimonia, ubi non florent artes & artificia: tum quod Moſcis non licet ditione ſui Principis excedere. Ob has cauſas non habent ullum uſum maris. Commutant tantum ea quæ regio fert, nempe pelles, reſinam, cum panno, aliiſque quæ Armeni perferunt in Aſtrachan ad mare Caſpjum, & Angli ad fanum Nicolai, ad ſinum Graduicum.

Regimen.

MAgnus Dux Moſcorum regit ſuos populos magis deſpotice, quam ullus alius Princeps, quem novimus: diſponit enim abſolute de perſonis ſubditorum, & ipſorum rebus. ideo dicebat Mahumetes Veſirus, quod Moſcus & Turca, ſoli inter Principes eſſent domini ſuorum dominiorum, eaque de cauſa putabat expeditionem Stephani Regis Polonorum plenam difficultatibus fore. Vt in ſua potentia & authoritate ſe Magnus Dux conſervet, utitur artificio & induſtria incredibili. Primo non licet cuiquam ſuorum vaſallorum exire regni fines, ſub pœna mortis. Hac de cauſa nemo ſuorum ſubditorum navi-

navigat, nec cum legato externi Principis loqui poteſt, nec uti opera externi medici, in ſuis morbis, niſi cum venia. Vtitur apparatu ineſtimabili in veſtitu, addens ornatum Pontificium cum majeſtate Regis: fert capite mitram, margaritis & gemmis pretioſiſſimis nitentem: ſi eam capite non geſtat, habet eam coram ſe in ſuo throno, mutatque eam ad oſtentandam amplitudinem multis vicibus: in ſiniſtra manu tenet paſtorale ductiſſimum, indutus veſte, aut tunica longa illi non abſimili quam Papa gerit ingrediens ſacrarium: digitos annulis aureis refertos habet: imago Chriſti ad dexteram, & ſanctiſſimæ matris Virginis ſuper cathedram, in qua ſedet, eſt. Regia & proregia camera eſt plena viris, veſtibus auro depictis uſque ad talos indutis. In ceremoniis ad religionem ſpectantibus utitur exquiſita ſagacitate ſolertiaque. Cum aſſidet menſæ, quoties nunc utitur patinæ, aut vult bibere, multa ſigna crucis edit. In jejuniis exhibet ſingulare venerationẽ, & in templo præ devotione fronte terram percutit, ſicut & alii. Ne alius plus ipſo ſcire poſſit, nullæ ibi ſcholæ, præterquam in quibus docetur legere & ſcribere. Nihil legunt præter

Digitized by Google

præter Euangelia, & aliquam historiam, aut descriptionem vitarum sanctorum, aut homiliam S. Iohannis Chrysostomi, aut alterius; haberetque eum suspectum, qui demonstrationem faceret, se velle in literis majorem progressum facere; nec impune ferret: id facit, ne aliquis plus ipso, aut quantum ipse sapiat: indeque accidit, ut scribæ, nec ipsimet antiscribæ, ordinarie non scribant nec respondeant Legatis Principum externorum, nisi in quantum Magnus Dux eis dictat. Cum negotiantur, nunquam Magnus Dux nominatur, quin omnes assurgant in pedes, cum magna veneratione: idem etiam ad mensam fit, quando ipse ad bibendum invitat, aut participem facit suæ patinæ aliquem. fit id quoque in mille aliis similibus occasionibus. Docentur à pueris Moschi credere & loqui de ipsorum Principe sicut de Deo: Deus solus (dicunt) & magnus Dominus scit hoc: Magnus noster Dominus scit omnes res: Omne quidquid habemus, sanitatis & commodi, procedit à magno Domino. Accidit inde, ut sui subditi, videntes tantam amplitudinem majestatemque in suo Principe, nec aliarum quàm ejus rerum notitiam habentes, revereantur ipsum,

ipſum, obediuntque ei non ſicut ſubditi, ſed tanquam mancipia, habentque eum pro Deo potius, quam pro Principe. Non habet ſub ſe dominos titulis inſignes, ſicut inter nos ſunt Duces & Barones. Si ipſe alicui pagum aut prædium concedit, non tranſit ad hæredes, niſi id ipſe confirmet. Et ſi ipſe aliis ea conceſſerit, villici tamen perſolvant ei portionem fructuum, & [illegible] ei operas: id in cauſa eſt, ut unuſquiſque a nutu Magni Ducis dependeat, & quanto ditior ſit, tanto ei plus debeat. Ut obviet ſeditionibus, transfert integras familias ex uno loco in alium, mittitque in præſidia quos vult, longe a domo, tanquam in exilium.

Divitiæ.

EX iis, quæ dicta ſunt, fieri poteſt judicium de ejus divitiis, opibuſque. Cum itaque ipſe adeo abſolute omnium rerum dominus ſit, utitur opera ſubditorum pro libitu, & tali parte ipſorum bonorum, ſicut ipſi placet. Arrogat ſibi ex ferarum exuviis talem portionem ac vult, & ex piſcibus omnis generis quantum vult: pellicea vendit aut dat dono, prout libet: piſces vento ſiccati ſer-

vantur pro munitione. In foro nemo sua vendere potest, nisi Principis primum vendita sunt. Minæras auri & argenti nullas habet. Civitates mercimoniis celebriores, unde ipse maximam redituum partem percipit, sunt Astrachan ad mare Caspium, quo deferuntur merces Persiæ & Armeniæ, & fanum Nicolai ad sinum Graduicum, quo appellunt naves Anglorum & Hollandorum oneratæ ære, aliisque mercibus, quæ inde Vologdam ducuntur. Vbi sui legati domum sunt reversi, aufert eis lautia, quæ à Principibus acceperunt, dando aliquid in illorum vicem, & aliquando nihil. Vt finem faciam, sibi metit capitque quidquid in sua ditione aut boni aut preciosi est. Putatur ipsum aliquem thesaurum habere; in arcibus Mosquæ, Iaroslaviæ, & lacus Albi. quod verisimile est. Magnus enim Dux Iohannes spoliavit calicibus, reliquiis, crucibus, & argento totam fere Livoniam, nec concedit aurum & argentum sua ditione efferri, nisi in redemptionem bello captivorum, aliorumque qui in captivitatem abducti sunt. Verum quidem est, quod amissione Livoniæ, quam anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo cessit

Ste-

Stephano Regi Poloniæ, privatus fuit ea regni parte, quæ erat ditiſſima, propter commercium maris Balthici, & meliori ditione quam habebat, in qua erant 34 arces.

Vires.

MVnimentum regionis conſiſtit & in pluralitate paludũ fluminumque, & in denſitate nemorum. In uſu habent Moſci, loca hoſtibus proxima depopulari, ut denſæ ſylvæ ibi creſcant: quod & fit ob terræ humiditatem. ſuntque eæ civitatibus non ſecus ac ſepes ac valla pro munitione. Multum laboris id Polonis attulit. Vt enim ſibi itinera ad oppida hoſtium pararent, neceſſe eis fuit exſcindere ſylvas, & magni temporis jacturam facere. Habet Magnus Dux munitiones, quæ partim ex lapidibus, partim ex lateribus, Italico more, conſtructæ ſunt, ſed abſque lateribus & arte ædificatoria: tales ſunt arces Moſquæ, Novoguardiæ, Pleſcoviæ, Porcoviæ, Stariciæ, Slobodæ, Alexandri: partim ex gleba viminibus contexta, & probe calcata, qualis eſt Smolenczo. Sed ordinarie exſtruuntur muri locorum fortium ex magnis trabibus, inter quas conſtipant terram,

relinquendo ad defensionem foramina pro pyrobolariis. Talis ædificatio commoda est defensioni, contra tormenta bellica, sed non resistit igni. Subditi Magni Ducis inserviunt suo Principi in bello, sicut ante de suo regimine agentes diximus, sed se potius timere pœnam (si se non strenue gesserint) quam promptitudinem alacritatemque monstrant: Capitaneis ad nutum sunt, patiuntur omnem incommoditatem, non curant frigus nec pluvias, patiunturque incredibiliter inediam, famemque; suntque parvo contenti. Aestimantur itaque aptiores defendendis castris, quam præliis campestribus. Illic enim multum valet patientia & tolerantia, hic autem requiritur audacia animusque. Poloni sunt meliores cōflictibus campestribus, quam propugnandis arcibus. Magnus Moscoviæ Dux Iohannes, experientia edoctus de suorum in velitationibus & præliis ignavia, & de Polonorum audacia animisque, dicebat suos opus habere calcaribus, quibus impellerentur, Polonos freno, quo retinerentur. Vires præcipuæ hujus Principis consistunt in equitatu, sed quem equorum numerum educere possit, difficile dictu est. Nec

Digitized by Google

tamen credo ipſum trecenta millia armis inſtruere poſſe; (ſicut aliqui dicunt.) Habet enim ditionem vaſtam, & pro majori parte incultam. Ab Caſſano enim Aſtrachanum uſque vix invenitur pagus, quamvis inter ea oppida aliquot dierum iter ſit. Bello quod ei intulit Stephanus Rex Poloniæ (qui tamen non ultra LX millia tum equitum tum peditum habebat) ipſe tantum militum colligere non potuit, quo non dico ſe ei aperto Marte objiceret, ſed nec potuit ipſum divertere ab oppugnationibus Polotiæ, Vilicoluci, aliorumque locorum, nec aut ab obſidione Pleſcoviæ. Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo penetravit Princeps Tartarorum Præcopitarum, cum octuaginta equorum millibus, uſque in viſcera ſui Imperii, tradiditque flammis ipſam Moſquam urbem regalem. Sed ii, qui dicunt Magnum Ducem ccc & Regem Poloniæ cc equorum millia educere poſſe, potius numerant capita equorum, quam equitum. Etſi enim tot equorum millia ſint, non tamen omnis equus bello bonus eſt, nec unicuique equitandi ars, aut ſe armandi facultas eſt: uni deeſt animus, alteri opes non ſuppetunt, alteri vires cor-

 poris.

poris, alteri animi fortitudo alacritasque desunt. Quamvis in Moscovia tot equorum hominumque millia essent, quot illi dicunt, admodum difficile tamen esset (imo vix possibile) eos in unum locum cogere, nec Principi in hoc suppeterent pecuniæ, nec commeatus sufficerent. Ducenti enim equi præliatores requirerent in Moscovia ter centum clitellarios, ac alios totidem ministros, quibus omnibus oporteret sufficere commeatus; sicut & annonariis, mercatoribus, artificibus, famulis, qui in bello requiruntur. Necesse itaque esset totam Moscoviam in unum cogi; ac tum verendum, ne in tanto itinere ab una parte regni in regionem directo contrariam, & hominum & jumentorum vires labascerent. Quamvis etiam possibile esset, tantum numerum (sicut dictum est) equorum colligere, id tamen statui non expediret. Necesse enim esset denudare confinia præsidiis, provincias nervis, civitates magistratibus, campos agricolis. Inde clare apparet, Principem, cujus status centum & quinquaginta millia equitum cogere posset, abunde præstare, si tertiam eorum partem in exercitum regalem educat: de bellis, non excursionibus loquor.

Scri-

Scribunt aliqui, qui in affirmando magis moderati ſunt, Moſcum cogere poſſe centum & quinquaginta equorum millia, ſi neceſſitas ſe defendendi id requireret, & quod Iohannes III eduxit in expeditionem Aſtrachanenſem centum viginti equitum, & viginti peditum millia. Idem adortus aſt Livoniam, tempore Regis Alexandri, magnis exercitibus, retinuitque adhuc alium ad regni ſui fines. Equitatui addidit Magnus Dux Iohannes aliquot millia pyrobolariorum, quos ipſe inſtituit, inter quos erant multi externi milites, qui ipſi præſtiterunt egregiam operam in defenſione ſuarum urbium. Quoquo ſecundo aut tertio anno deſcribit per regiones bello aptos. In commentarios referuntur filii nobilium, & numerus famulorum, equorumque equites. Ditiores præcipue utuntur thoracibus æneis, galeis, & laminis ſubtilibus & tenuibus, quæ ex Perſia adferuntur, & lanceis. Alii geſtant thoraces, goſſypio quam optime farcitos, qui ſagittis reſiſtunt. Hi utuntur arcu, multi eorum ſclopeto, omnes enſe & pugione. Et inſerviunt quoque Germani in bellis & in fortificandis locis.

Principes finitimi.

MAgno Moscorum Duci junguntur Præcopus, princeps Tartarorum, Tauricæ Chersonesi Circassi, quinque montium; (inhabitant hi regionem, quæ se ad 7 dierum iter extendit, reguntur que à septem Ducibus, Helvetiorum modo;) Tartarus Nogay, Reges Succiæ & Poloniæ. A Præcopo recipit multum damni, nec ei spes est de sumenda vindicta, quòd cum Turca confœderatus est Præcopus, instruiturque à Turca sclopetis, tormentisque bellicis, habetque in sua ditione loca fortia, cum præsidio Turcico: itaque eum invadere difficile factu arduumque esset. Concitaret enim in se potentiam illius. Præcopo commodum est (sicut & pluries fecit) subitam excursionem facere in provincias Magni Ducis, sicut & potest facere in provincias Regis Poloniæ, diripereque obvia. Si magnus Dux subjugavit Tartaros Cassenenses & Astrachanenses, accidit id beneficio tormentorum bellicorum, quibus illi carebant. Duxit hic inter alia contra Cassanenses aliquas hujusmodi machinas. Temoni plaustrorum affigebat tabulam latam & crassam, cum

mulro

multo foramine, trajiciendo ſclopeto & moſqueto inventum. Cum itaque ipſi graviter ferirent hoſtes, (qui ſagittis tantum utebantur, quibus Moſci lædi non poterant) non fuit difficile eos vincere, ſubjugareque. Sed Præcopus habet uſum ſclopetorum, &, quod amplius eſt, amicitiam & protectionem Turcæ, qui, ut ſibi iter aperiret in Moſcoviam, aut in mare Caſpium, tentavit annis jam elapſis ducere foſſam à Tanai ad Volgam; (hoc molimen altioris erat animi, quam Turcæ plerumque faciunt:) ſed ejus milites fugati fuere à Moſcis, in hoc adjuti à Tartaris, qui verebantur, ne plane à Turcis peſſundarentur, ſi illud opus ei ſucceſſiſſet. Nec ſolum ruperunt claſſem Turcicam, ceperuntq; ejus partem: ſed & exitio dederunt exercitum terreſtrem, in quo numerabantur 80 Tartarorum, & 25 Turcarum millia, inter quos erant ter mille Ianizari. Circaſſi vivunt (ſicut diximus) more Helvetiorum: non nituntur ut ſibi aliquid acquirant, ſed tanquam mercenarii milites militant Turcis, Perſis, Moſco; à quo tam longè diſſiti ſunt, ut non habeant occaſionem ſibi timendi ab ejus viribus. Tartari Nagai magis formidandi ſunt,

M 5 propter

propter subitum impetum & excursionem, quam propter justam potentiam, quæ eis sit ad suscipiendas expeditiones regias. Annis retro elapsis, cum se movissent, ut Mosco damnum inferrent, retrogressi sunt placati donis quæ eis missa fuere. Cum hi, sicut & Arabes, dediti sint latrociniis & grassationibus, facilius est ipsos avertere donis, quam pugnando. Quod plus est, cum ipsi nec civitatem, nec munitionem habeant, qua expugnata, & in dominium hostis redacta, deprimi, & tanquam freno cohiberi possint; bellum ipsis inferre, est expensas facere sine lucro. Adversus hos tenet Magnus Dux magnum equitatus numerum, in Citrachan, Casan, & Viatca: habet quoque præsidium in Culugan contra Tanam, ut resistant Præcopitis. Cum Rege Sueciæ jungit fines Moscus, præcipue ad partem Finlandiæ, ubi Suecus (cum quo diu bellum gessit) paucis retro annis ei eripuit munitiones Serenosco, Pernaviam majorem & minorem in Livonia, aliaque loca, cum Moscus impeteretur à Rege Stephano. Tenet Suecus in extremitate sinus Finlandiæ munitionem Viburgum, magno præsidio & expensa, ut resistat Russis, & Magno

Duci.

Duci. Habet quoque in illo mari & portubus vicinis ſuas naves bellicas, tum ut obviet omni tentamento Magni Ducis, tum ut impediat, ne ex Germania in Moſcoviam vehantur arma & apparatus bellici: Nec aliæ naves quam ſuæ ad illas oras appellere poſſunt, niſi permiſſione, propria Regis manu ſignata. Hoc præcommodum claſſis, & potentia navalis, fecit Regem Sueciæ, iis locis ubi hanc vim armorum explicare poteſt, Moſcho ſuperiorem, cepitque hac via ab hoſte multa loca in ora Livoniæ, locisque vicinis. Sed ubi equitatus Duci frequentiaque populi uſui eſſe poteſt, nempe in campis apertis, & in locis longe à mari Baltico diſſitis, videtur Magnum Ducē potiores quodammodo partes habuiſſe: ſemper enim fere invaſit Suecum. Non poſſunt tamen ſibi invicem multum damni inferre, propter aſperitatem montium, frigus, glaciem, nivesque. Supereſt Poloniæ Rex, inter quem & Magnum Ducem, eſt differentia, quod Moſcus plus regionum habet, ſed Poloni melius inhabitatas civilioreſque: illi plures ſubditi, obedientioreſque ſunt: huic autem audaciores & animoſiores: illi ad reſiſtendum quam aggrediendum ſunt aptiores.

res, hi ad invadendum: illi ad defendendum munitiones, hi ad aperto prælio pugnandum: illi magis juncti unitique sunt, hi magis deliberati ad factionem expeditionemque: illi timent minus inediam & incommoditates, hi mortem & ferrum. Sed utrique tantum valent, quantum eorum Princeps virtute & fortitudine præstat. Magnus enim Dux Basilius cepit magnum Ducatum Smolenscensem & Poloscensem, & amplissimam ditionem in Livonia. E contrario Stephanus Poloniæ Rex eripuit ultimo bello Iohanni Magno Duci, filio Basilii, Polosco, aliaq; diversa magni momenti loca: obsedit civitatem Plescoviensem, coëgitque tandem Moscum tota Livonia decedere. Inde videtur populum tantum valere, quantum ingenio animoque valet Rex.

Hæc, ex Ioanne Botero à Iustо Reifenbergh expressa, hic addenda duximus, ne Lector frustra desideraret superiorum authorum de Moscorum republ. judicium.

TAR-

TARTARIA.

I.

Excerpta è Michalonis Lituani fragmentis de moribus Tartarorum.

E fragmento primo.

TAMETSI Tartari, barbari & inopes habeantur à nobis, gloriantur tamen continentia vitæ & antiquitate gentis ſuæ Scythicæ, aſſeverantes eam ſemen eſſe Abrahæ,& nemini ſerviviſſe unquam, licet vexatam interdum ab Alexandro, Dario, Cyro, Xerxe aliisque Regibus & populis potentioribus: & varias nunc diviſam in Ordas, id eſt, nationes: Siquidem ultra vicinos nobis Precopenſes,complicesque eorum Belhorodenſes, & Dobricenſes Moldaviæ finium accolas, Ordæ ſunt potentes, Precopenſibus infenſæ, Orientem verſus. Alia Mahai, alia Chaſtorakani, alia ultra amnem Tanaim, qui Volha appellatur, Za-

vvolſca, Cæſaris Bati Vngariæ vaſtatoris patria, Moſchorum olim & omnium Ruthenorum dominatrix, Nahaienſibus nunc adhærens, alia Kozanii, alia Kazaczka, item Buchar, Samarchan, & aliæ dicũtur plures, XII Imperatoribus diſpartitę, ut promiſerat Dominus, progenitorem eorum Iſmaëlem (Gen. 17.) XII duces generaturum, & evecturum in magnam gentem. Ex omnium autem nationum Tartaris ſoli tenuiores, ſed regionibus noſtris citimi, Precopenſes, infeſti ſunt nobis, cum ignavia freti noſtra, tum vicinitate, locorumque opportunitate receptaculi ſui. Habent vero Precopenſes receptaculum, ſuapte natura munitum. Lacus enim duo paluſtres, quorum alter Mæotis dicitur, ex mari in continentem ad circiter triginta milliaria in longum porrecti, & ſeorſum tantundem pene in initiis & progreſſu ſuo diſtantes: finibus vero ad invicem reflexi, & anguſto quodam interſtitio ſicco cohibiti quin congrederentur, deſinentes. junguntur ibi foſſa & vallo altius exaggerato, complectente portam, quę unica eſt ingrediendi provinciam illam per aridum. unde & caſtellum ad portam illam ſitum, & tota ſinu illo incluſa peninſula appellatur

latur à nobis Prekop. cui Tauricæ alias nomen fuiſſe fertur: *incolatus vero &* imperium Græcorum Trapezuntinorum, ut hucuſq; retinent Græci ſuam & ibi linguam Græcam & religionem. Adjacet autem peninſula ea ipſa mari Pontico, quod illa ex parte pontus Euxinus dicitur. & quamvis munita ſit ſitu, non adeo tamen illis ſuis, nec lacubus amplis, nec foſſa nec vallo arduis, neque caſtello firmo, ut arceretur à tranſitu exercitus paulo inſtructior. Et pervenitur ad portam Tauricæ unicam illam ab arcibus ultimis Lituaniæ Czerkaſi & Braczlavv, diebus ſex, graminoſis ſemper & planiſſimis ubique campis, non monte interpolatis uſquam, non ſylva non palude, nec amne tranſmiſſu difficili, præter Boryſthenem. Sic enim ipſa Taurica citra Alpes & maritima, quę montoſa paſſim, habet & ſylvoſa, & quæ nunc ab Aboriginibus Græcis inhabitantur. alias vero tota eſt campeſtris, Tartaris illic incolatum præſtans, & ubique victui mortalium commoda & facilis, facilis admodum Cerere, Libero, carne, & ſale. ſiquidem ſal ibi in lacunis, quibuſdam aquis in ſe, ad inſtar glaciei, à calore ſolis concretis, naſcitur, à ſolſtitio æſtivali copioſus & pel-

& pellucidus, nonnullibi ut cryſtallus. Et frumentum omne, ac uvam vini generat ibi copioſe tellus, ſemel ſubacta, & fronde occata utcunque. Pecora item & jumenta hyeme quoque in paſcuis & ſub dio ſemper fovet lætas; quæ etiam fatigis exinanita, macilenta & ſtrigoſa, poſtquam abjiciuntur, ibi in campo repingueſcunt. Herba floccida, calcitratu ex nivibus quæſita, haud infelicius quam melioribus pabulis & ſub tecto apud nos: quoniam & cœlumq; ibi eſt aliquanto clementius, & terra ubi cænoſa ibi ſalſa. & herbæ genus ſapidius quoddam, ſemper virens, & mirum in modum jumenta vegetans, quod appellatur *tipez*. Vnde tantam olim frequentiam incolarum fuiſſe ibi memoratur, quod ſingulæ quædam illic ex urbibus Græcorum, millena habuerint templa, & clero interim inſolenti adeo, quod non niſi equites ingrederentur ſanctuaria antiſtites & archimandritæ eorum. Atque nunc etiam urbes ibi nonnullæ quamvis peſſundatæ, amplitudine tamen ambituum ſuorum & ruinarum, ſuperbæ olim fuiſſe apparent, & præſertim quæ à nobis Solholth, à Moſcis Krym, à Græcis Theodoſia appellabatur quondam, & metro-

Digitized by Google

metropolis vetuſta Korſſunii, quæ gēti Ruthenorum princeps dedit baptiſma & nomen Chriſtianū, poſtea vero prædam gētibus noſtris, exciſa ab eis. Vnde Kiovia noſtra in templorum ſuorū lithoſtratis, aſarotis, & incruſtamētis, retinet hucuſq; certa prædæ illius inſignia, è quibus & Gneſnenſi Baſilicæ valvam largita eſt. Et illa ipſa Korſunii tractata ſic à noſtris, dediſſe fertur jactura ſua neceſſitatē Tauricenſib⁹ Chriſtianis, luxui & ignaviæ deditis, recipiendi in ſuppetias ad feudalē incolatum, reprimēdis gentibus noſtris, manum Tartarorum ex Orda, Zavvolskę adſitā: Et ſenſim deinde invaleſcens ibi illa Tartarorum vis, ad juſtumq; populi examen propagata, protulerit ſibi in Principem Temirkuthla quendam ſanguinis ſui, appellato eo Cæſare. At progenitores S.M.V. perdomitis Cæſarianis illis, iniquis Gręcorū vaſallis, dabāt eis in Cæſares, ſubditos ſuos hinc ex Lituania Tartaros. Vltimus vero ex Litunia Cæſarū Aczkirei, hic apud Troki natus, & hinc à divo VVithovvdo ad imperium illud miſſus, genuit imperans ibi in Taurica filium Menglikirei. Menglikirei vero modernum Cæſarem Sapkirei & fratres eius natu & imperio priores, Machmethkirei, Sadetkirei &

& Chaskirei. Sic enim nobili recepta hinc progenitoris sui nomenclatura, gaudet nunc omnis sequens eum in fascibus illis posteritas. Hæc igitur est Kireorum stirps, dextra forti progenitorum S.Mtis Vestræ ibi plantata, quæ nunc referendo gratiam provectionis suæ, juge facessit nobis negotium. Atque vigente sic Taurica & populo & imperio jam advenarum: urbes tamen ejus Mancup, Caffa, Kercze, Kozlevv, & aliæ maritimæ, servaverant se immunes ab illis, donec Turcica manu, opibus Constantinopolitanis exaucta, caperentur ab annis hinc circiter septuaginta. Et illinc missi sub jugum Turcæ pendunt ei censum, à capitibus suis singuli illic Aboriginum Græcorum, superstites. Qui tametsi & nunc agricolæ, videlicet vinitores & pastores, non inopes sint, imo etiam non sine argentea supellectili plerique, utpote in tranquillitate & justicia publica, rationabiliore Ethnicorum administratu viventes, minus tamen jucundam agunt ibi vitam: Quippe, qui nullo honore digni, imo nullius omnino reputationis habentur à potitoribus rerum Mahometicis: ac omni illorum nedum commercio, sed & intuitu non torvo dedignantur,

Digitized by Google

dignantur, angariantur,q; laboribus, dominicis præſertim, ac etiam paſchalibus diebus, ipſimet argenteæ ſupellectilis domini. Nequaquam enim retinet authoritatem ibi Chriſtianus nec in ſervum nec in filium paulo proterviorem, qui ſcilicet Magiſtratui ſe præſentandum duxerit ſemel. Atque etiam ipſi patriſamilias mutandus eſt ſtatus, ſi defertur *præſumpſiſſe* de religione ipſorum quicquam verbo, aut ſaltem digito uno, & minus etiam ſerio protenſo.

Iam vero quam inconſtans ſit viciſſitudo rerum, vel ipſa ſufficit indicio Taurica, videns nunc mutatum ſic popularium ſuorum ſtatum, & patritiorum ſuperſtites, honore, libertate ſimul ac patribus orbatos, in ſervitutem redactos, ſpretos, capite diminutos, capiteque cenſos Mahometicis, & antiſtites illos, inſolentes quondam eccleſiarum Dei contemptores, contemptos nunc ipſos, & abiectos, obreptare ſub trucibus Tartaris & Turcis. Vrbes quoque ſuas opibus immenſis, ſuperbia, lætitia, ac omni luxuriæ ſtrepitu perfunctas, dehiſcere nunc pleraſque inanes, ceteras vero ſolo æquatas, obſoletis jam & nominibus, & imperitare nunc ſibi, non

Chriſtianos nobiles, & nativos ſuos patronos, ſed peregrinam Ethnicam, ac non ita pridem ſervitute emerſam, atque & imperio ſimul & libertate donatam hinc vaſallorum ſtirpem. Adeo increbuere in Taurica Tartari, quod circiter triginta millium exercitum compleant ad bellum, ſed coacti, ut ſolent univerſi, & gregarii ac imbelles, quicunque ſaltem valeant conſcendere equum. Vt me præſente ibi, dum medietatẽ eorũ & filium ſuum mitteret Cæſar, in ſubſidia Turcæ proficiſcẽti noviſſime in Vngariam, quindecim millia eorum tunc enumerata ſunt. Proficiſcebantur autem quamvis lectiores illi, conſueto tamen apparatu ſuo, inermes videlicet plerique, & vix decimus aut vigeſimus quisque eorum pharetra fultus aut framea, lorica vero multo rarior; ſed alii ſcipionibus ſaltem muniti oſſeis, alii ligneis, alii vacuis telorum accincti vaginis. Clypeorum autem & haſtarum, vel hujusmodi armorum generis expertes penitus. Sic enim ſemper illi, nec armis, & nec cibariis, præter nonnihil milii toſti, aut caſei comminuti, & neque ullis onerantur impendio ad bellum impedimentis. Verumtamen nemo illorum, ſine pluribus recenti-

busque

Digitized by Google

buſque loris proficiſcitur, & præſertim quando noſtras excurſitandum eſt in regiones: Quoniam tunc ſoliciti fiunt vinculorum, ad vinciendum membra noſtra, plus quam armorum ad tutandum ſua. Equorum vero ſemper fulciuntur ad bellum copia, ut magna pars exercitus eorum quinos ſinguli ducent equos, eosque intactos. Vnde excurſiones & omne iter, crebra huiusmodi equorum mutatione freti, velocius perficiunt, & hoſtem inſequentem ſe effugiunt facilius, ac etiam terrefacit amplitudine veſtigii ſui, & non metuunt ipſi in copia eorum fatigam nec famem. Præſtant etiam in bello tolerantia famis, ſitis, fatigæ, pervigilii, æſtus, algoris, & omnis inclementiæ cæleſtis omniumque ærumnarum. Nam expeditiones bellicas perficiunt absque curribus ſemper, & abſq. omni commeatu, præter illam quam dixi equorum copiam. Solitudines item camporum vaſtas, invias, brumali etiam tempore, altitudine nivium & pruinis acerbas, quãvis excoriatis dura nive & glacie equorum cruribus, haud ægre tamen & haud gravatim ſuperant. Amnes amplos rapidos, atque hiberno etiam rigore, aquilonumque & glacierum

 fragori-

fragoribus horride ſtridentes & traje-
ctu difficiles, abſque tamen navigiis,
ſed tantum equorũ ipſi jubis adnixi,
ſarcinis vero ad caudas ſuper tignis,
ſeu arundinum faſciculis alligatis, tra-
nando incunctanter expedite & prō-
pte transmittitant. Et in prælio pu-
gnant, fortius multo quam Moſcovi-
tæ, quamvis minus armati, & ſem-
per primo in congreſſu, ſiniſtrum ad-
verſi exercitus conantur occupare
cornu, quo dexterius ipſi petant ſa-
gittis. Sæpe quoque in fugam verſi,
terga dando reſiſtunt, & hoſtem in-
ſequentem ſe diffuſum ſparſim, inter-
ceptant ex inſidiis,& ſic eripiunt non
nunquam victi victoribus victoriam.
Quando vero præter technas & ſtra-
tegemata, ſed recta & cominus, col-
latis ſignis, venit conferenda cum eis
manus,prævalent tunc in eos pugna-
tores noſtri, etiamſi non paulo pau-
ciores fuerint. Id quod crebrius ex-
perti ſumus ſub victorioſiſſimis ve-
xillis divi parentis S. Majeſtatis V.
Nam & poſt infelicem Chriſtiano-
rum cum Mahometicis, patruelis ve-
ro S. Majeſtatis V. Regis Ludovici ul-
timam pugnam, menſe quinto,calen-
dis februariis, anno Domini ſupra
mille quingentos & viginti ſeptimo,
in cam-

in campis planis illis prope Czerkaſſi, ad fluvium Olſlanicza, viginti quinque millia illorum Precopenſium Tartarorum cæſa ſunt ad internecionem à nobis, qui non plures fuimus ibi quam quingenti & ter mille. Et ante apud Kleczko, deſiderata ſunt ſeptem & viginti millia eorum, proſtrata novem millibus noſtrum. Ita quoque alias, & apud Davidis Caſtellum & apud Streſſino, Czeczersko, Lepuſlno, & in campis etiam vaſtis illis, in Lebedino, & ad templum album, & ad fluvium Sula, & aliis in præliis, quotquot ævo præſenti fuere genti noſtræ cum illis, expertum eſt robuſtiores eſſe noſtros. Nam & apud Sokal, non robore virium ſuperatus, ſed dolo & loci iniquitate circumventus ab illis, ſuccubuit exercitus noſter, perductus inſidioſè in aream oppidi recens exuſti, crebris præcipitiis cellariorum, id eſt, antris, cavernis & cryptis ſubterraneis dehiſcentem. Et illinc primum arrigi cœpit in nos cornu ſtirpis Kiriorum, perlatis ſibi in Tauricam exuviis cruentis militis noſtri. Atque deinde apud Oczakovv, tametſi fortis itidem ac etiam victor in illos fuerit miles noſter, at imprudens interim, ut qui donaverit ultro vict-

victoriam victo Oslam Soltano, mittens ad eum in caſtellum duces ſuos colloquii gratia, ignarus dictum eſſe, Circa rem bellicam dolus an virtus, quis in hoſte requirat? Sic igitur ſemper robuſtiores fuere noſtri Præcopenſibus, præter ſolas technas, dolos & ſtrategemata illorum. Vita autem Tartarorum, qua gloriantur, eſt priſca, paſtoritia, quam olim in aurea ætate ſancti vixerunt patres, & ex qua Duces etiam eligebantur populis, regesque & prophetæ, dicente quodam eorum, Tulit me dominus cum ſequerer gregem eorum. Ita enim agunt hactenus Tartari, ſequendo greges, & peragrando cum eis campos hinc inde. Septa nulla habent, nec domos, præter tabernacula geſtatoria, ex viminibus & arundinibus compactis, ciliciis velata, ſtoreis & mattis ſcirpeis munita, quæ uxoribus & pueris referta, vectant ſecum in plauſtris. Terram non colunt, etiam fertiliſſimam, contenti ſpontaneo fructu eius, herba ad paſcendum pecus. Vnde juxta Salomonis conſilium, lacte ſolum absque pane & ſicera vivunt, ſobrii & abſtemii; cum lege quoque prohibitum habeant potum vini, ac eſum ſuillæ. Et quamvis cæterorum pecorum ac jumento-

mentorum, etiam equorum veſcantur carnibus, non tamen apud ſe, niſi penitus mortuis aut pene morticinis, parcendo ſcilicet vividis gregum ſuorum. Nam in gregibus totam ſuam conditant ſubſtantiam; nihil immobile poſſidentes privatim præter puteos, & eos contribulibus quibusque communes. Mobilium etiam curæ atque oneri non impendio ſe applicant, præter quotidianam & eam tenuem *utenſilium ſupellectilem*, & equitatus bellicæque *rei leviſſimum* etiam *inſtrumentum*, ad quod ſolum accurati ſunt; præter vero id, ad aliud operis profani alicui rei navare operam virum ingenuum dedecori habent, quo ſedulius obſequundent præſcripto legis ſuæ, vi & armis propagandæ. Atque in ea feritate nihil habent antiquius temperantia & continentia, vivuntque citra exuperantiã ac defectum ultimum omnes. Vnde quemadmodum in ſacris litteris dicitur, Scio & ſatiari & eſurire & abundare & penuriam pati: Item, Qui multum, non abundavit; & modicum, qui non minoravit. Ita nunc in barbaris illis, nemo abundans ſuffocatur ingluvie, nec egens extinguitur fame, neque algore conficitur, nemoque

mendicat in tanta eorum inopia & penuria rerum. Nam ut non frequens apud eos heluo: ſic non fame laborans, nec mendicans nec fraudulentus, alieni hauſtor, non litigator, nec judex iniquus, non teſtis perverſus, non pejerator, item non fur nec latro. Vnde minime opus eſt apud eos angi quenquam ſollicita rerum ſuarum cuſtodia, nec ſe armis onerari domi ad privatam ſui defenſionem. Nam iter habenti intra regionem eorum ferre telum, enorme & illicitum eſt. Sancte enim colunt illi apud ſe pacem & juſtitiam, reddendo unicuique quod ſuum eſt, integrum, non imminutum, in gratiam magiſtratus, ex decimatu, nec ullo alio nomine. Non quæſtui etenim, ſed pietati, impii ethnici illi habent judicandi officium. Quod etiam eſt eis non laicum, ſed religioſum, & per religioſos id exequuntur Cadios, qui eo religionis initiantur peculiariter ſecundum juſjurandum, jam alioqui lecti tales, qui minime inhient rebus profanis, de quibus alios judicaturi ſint. Et quo expeditius vigeat juſtitia, nequaquam judicium ibi protelatur ſubterfugiis cavillatorum, nec obtenditur calumniis vitilitigatorum. Siquidem reus diffu-

diffugium captans, dum per attactum oræ veſtimenti ſui vocatus ab actore in judicium non paruerit illico, extunc velut compertus jam in reatu vapulat. Verberatur enim fuſte, certo & ex lege domini præſcripto plagarum modo. Actori item & teſti locus in judicio non eſt, qui neceſſaria ſalutis non ſatis perfecte ex lege calleat, aut qui guſtaſſe aliquando vinum ſeu alio notatus vicio deprehenditur. Parent quoque foro eidem, hoc eſt. Cadii judicio, & proceres ac duces cum popularibus pariter & abſque diſcrimine, ac præter ſummum principem: cujus Majeſtati plus etiam quam humanæ deferunt; ipſi in univerſum, atque ad unum omnes uno eodemque jure vivunt. Item & habitu conformi & victu compari, reddunt ſe pariles, nefas videlicet & piaculum habentes, fuſte etiam expiandum, præſumi à quoquam gentis ſuæ, ut veſtitu præcinctuve, aut pileo ſeu cæſarie, utatur non ſuo patrio ac vetuſto ritu: utve cibarium privatim à ſe promptum, non commune habeat unicuique præſentium, aut ſumat illud eſui parte ex aliqua patronus ipſe prius, quam expoſitum in medium, fruſtulatim fuerit conciſum, & commiſtum diligen-
tius

tius, ut eadem ſcilicet cederet qualitas cuilibet præſentium. Et in itinere nedum viaticum commune habent, ſed etiam inſerviunt majori natu aut imbecilliori cuilibet, alacrius unus præ alio. Domi hoſpiti cuilibet obiterario etiam & ignoto exponunt gratuito & cibum & nidum, ſed eminus à ſerie ſtativarum ſuarum: Quoniam alias non adeo jam ſunt civiles, quippe qui fœminas ſuas ab hoſpite, amico etiam & conviva quantumcumq; gratioſo, conſpici nequaquam licitum habent, tenentque miſeras caveis ſuis abditioribus recluſas & nedum conviviorum ſed ſynagogarum quoq; & omnis conſuetudinis forenſis penitus expertes, laboribus etiam omnibus ſartoriis & ſutoriis rejectis in eas, ſed neutiquam tamen invitas. At ipſi interim non ſunt contenti conjugiis earum ſinguli ſingulis, more hominum priſco, in hoc ſe jactitantes, itidem & lege ſua ſuadente uxores unicuique quaternas, & in ſingulas earum pellices denas. Et quo perfectiores præſtent ſe viros, non divitias quærunt ſponſarum, nec ſpecies earum corporales, copulanturque eis, minime à ſe antea in facie viſis, ſed animis duntaxat moribuſque earum

rum exploratis; & non dedignantur in conjugia ancillas quoq; ſuas captivas, ac emptitias. Vnde habent eas in matrimoniis conſtantes, morigeras, invicem concordes, & pellicibus ſuis in gratiam maritalem æquanimes, item pudicas, ut inauditum ſit penitus in eis adulterii crimen, capitale alioqui, & nece expiandum illico. Et præterea, cum intelligant barbari illi, nihil ſalubrius eſſe gentibus virtute & diſciplina militari, in arduitateque conſiſtere virtutem: Ideo molliciem & voluptates averſando, aſperitati vitæ, nec non equitatui ob rem bellicam ſtudent ex infantia, & jam inde ab incunabulis geſtantur inequitando, nec deſueſcunt equitare vel decrepiti. Vehiculi vero uſum vetuli quoque vel valetudinarii deteſtantur, molliciem devitando & parcendo equis. Parci enim ſunt equorum, adeo ut Baro etiam eorum, equitet intra patriam ſolus, qui foris centenis concomitatur equitibus ſuis peculiaribus. Et mulier apud illos etiam primaria, & vel Cæſaris neceſſaria, regiam acceſſura, non verecundatur caveæ ſuæ obturatæ recluſa, auro vel gemmis intro nitens, bove vehi uno, aut propter plauſtri groſſiciem duobus.

bus. Equum autem vel deterrimum jungi vehiculo, nefas eſt & religio cuilibet eorum, millenos etiam in equitiis ſuis habenti equos. Eſt autem vita hominum illorum tetrica, ſic & auſtera vulgo eorum communis, at non Principibus: Quoniam Principes Scytharum in publica populorum ſuorũ frugalitate ipſi lautius interim vivunt. Vt Precopenſis modernus Cæſar, negotio bellico in filios nunc rejecto, ipſe propenſius voluptatibus intendit, in topiariis mulierum ſuarum, intra viridarium quoddam, amœnitate loci, nec non ædificatu, cultu, herbarumque ac arborum varietate, & quincunciali earum ſitu elegans. Quo quidem in paradiſo ſuo, hoſpites etiam exceptat ille conviviis opiparis, licet ipſe quidem velut faſtidio & contemptu divitiarum ligneis & fictilibus veſcens ex vaſculis, attamen auratis innitens pulvinaribus & cubitis & pedibus, ad argenteamque diſcumbens menſam, aureis & gemmatis oneratam phialis, & variis laſciviens dapibus, nec non melodiis fidium, cymbalorum, crotalorum, pſalmorum, aliiſq; nugis oſtentans delicias ſuas, liberiuſq; licere ſibi ea præſumens in publica populi continentia.

Agunt

Agunt vero populi Tartarici continenter auſcultantes Sacræ Scripturæ dicenti; Vinum non bibetis, domum non ædificabitis, ſementem non ſeretis, vineas non plantabitis. Sed in tabernaculis habitabitis, ut vivatis diebus multis ſuper faciem terræ. Sic ergo vivunt illi ſuper faciem terræ diebus multis liberi, immunes, & ab ultimo ſuo excidio tuti ſemper: Dum deliciis contemptis, nihil fixum expugnationiq; obnoxium poſſidentes, tota ipſorum quocunque migrent comitetur eos ſubſtantia. Quam ideo fugitivarii ipſi conditant ſibi univerſam in mobilibus, in moventibus ſeſe pecoribus ac etiam ſervis.

Quanquam vero habeant Precopenſes pecora ſe penes, copioſe pullulantia, ſervos autem aliunde captivos, eo tamen altero facultatum ſuarum genere plus fortunati ſunt. Non habent enim pecora tot, quot mancipia: nam hæc externis quoque largiuntur provinciis: Siquidem adventant eis naves crebræ ex ulteriori Ponto, & Aſia, portantes arma, veſtes, equos, & ſolvuntur ab eis oneratæ ſemper mancipiis: Quoniam omnia illorum emporia ac telonia, celebria ſunt ſolo eo mercium genere, quod etiam ad

manus eſt eis ſemper, & mercatui, & pignori & dono; ac unuſquiſque eorum equi ſaltem aſcenſor, etiam cum nullum actu habeat mancipium, potentia tamen, certo ſemper copiam peculii ejus habere ſe præſumens, promittit in contractibus creditori cuilibet numeraturum ſe ad certum diem pro veſtibus, armis, & equis vivacioribus, vivaces etiam, verũ non equos, ſed homines, eoſque ſanguinis noſtri. Et ſtatur hujuſmodi promiſſis eorum ſecure, perinde ac ſi in vivariis & cortibus ſuis recluſos ſemper habeant illi homines noſtros. Vnde Iudæus quidam ibi in Taurica ad portam ejus, unicam illam, telonio præſidens, & innumeram ſemper hominum noſtrorum captivorum multitudinem importari illuc cernens, quærebat ex nobis utrum adhuc homines in regionibus noſtris ſuperſint, nec ne, & unde hic tantæ mortalium copiæ. Eſt autem id ipſum facultatum genus latrunculis illis in promptu ſemper, nedum in commercium quodlibet ad exteros, ſed domi etiam, & ſævitiæ eorum perferendæ & ludicris.

Crebri enim ibi ex miſeris ipſis viri robuſtiores, ſi non caſtrantur, auribus tamen & naribus mutilantur, ge-

nis

nis & frontibus cauteriantur, pediciſque & nervis compediti angariantur, interdiu laboribus, noctu carceribus; prætenuique foventur cibo morticinæ, ejuſque putridæ, vermibus ſcaturientis, canibus etiam abhorrendæ carnis.

Fœminæ vero teneriores in laſciviis habentur, & quædam conviviis etiam adhibitantur hilarandis, pſaltui, fidicinatui, geſticulatuique artificioſe edoctæ. Quæ liberali forma ex nobiliorum gentis noſtræ ſanguine raptæ, adductantur Thalaſſio & paradiſicolæ illi.

E fragmento ſecundo.

TArtari in equitatu ſunt aſſidui: abſque curribus bella gerunt, equis peregrinis abundant, urbibus quas tuentur carent. Moſci quolibet vere ex Orda Tartarica Nohaienſi, permutatione veſtium, & rerum aliarum vilium, multa millia equorum bello aptiſſimorum accipiunt.

Tartari equorum ditiſſimi, ne Principis quidem ſuæ vehiculo jungi patiuntur equum.

Tartari tunicas habent abſque plicis & rugis longas, equitanti dimicantique commodas; leves & pileos

albos acutos non ad faſtum paratos, quorum eminentia atque nitori in agminibus, licet minime galeati eſſe ſoleant, apparent illuſtriores, & hoſtibus formidandi.

E fragmento tertio.

AROmatis adeo abſtinent, ut & in epulis paſchalibus contenti ſint his condimentis, ſale lutulento, ſinapi, allio, cæpis, ſuæque telluris fructibus, non ſolum *vulgus*, verum etiam optimates, & ſummus *dux illorum*, arcium noſtrarum ereptor, quas jam LXXIII enumerat jactanter.

In menſa Principis convivali, inter aurea vaſa & vernaculas dapes, nonnihil quidem piperis, non tamen cocti, in trullis ſeorſum apponitur, ſed à nemine attingitur.

Tartari Precopenſes itidem aromata averſantur, vivuntque potu lactis & aquæ putealis, quæ in ambitu Tauricæ campeſtri, raro invenitur non amara, clara autem rarius, niſi in viſceribus terrę profundiſſime quæſita. Apud Tartaros qui modo vinum guſtaverit, is & octoginta fuſtuariis ictibus percutitur, & totidem nummis multatur.

E fra-

E fragmento ſeptimo.

TArtari ſuas mulieres in abditis ſemper tenent locis. Sequuti ducem naturam, atque laudabilem priſcorum hominum, de quibus in Bibliis, conſuetudinem, plures ſimul ſinguli uxores habent. Ex quibus numeroſas filiorum & affinium copias conſequuntur. Et uxores, quanto plures, tanto ſui amantiores habent, fauſtiſque fruuntur matrimoniis. Nec ſponſarum magnas dotes quærunt, nec formas nec inclytas familias; adeo ut ſummi principes ex captivis emptitiis conjuges ſumant. Nec ita pridem in copiis Oſſam Soltan fuerunt collectanei ejus, cujuſdam Omeldeſz XL. filii ſimul, robuſti, uno anno & menſe fortaſſis ex uxoribus & pellicibus earum procreati. quæ cohors XL fratrum germanorum conſpicua fuit. & hic apud fluvium Vaka villa Tartarorum frequens eſt, antiquitus XL Tartarorum, id eſt, fratrum, appellata. Mercandarum ſponſarum morem, qui eſt apud Tartaros, patet fuiſſe etiam apud Iſraelitas, Geneſ. 29, & 1 Reg. 18. quemadmodum & in noſtra olim gente ſolvebatur parentibus pro ſponſis pretium, quod *krieno* à Samagitis vocatur.

E fragmento decimo.

RELigio ſeu lex eſt communis Tartaris cum Turcis atque aliis Saracenis, quæ Iudaiſmum olet, & hæreſim quandam Neſtorianam. Deum unicum & ſimplicé profitetur. Chriſtum vero, ſanctum Prophetam & judicem mundi poſtremum, virgine pura natum, ſed non paſſum credit. Circumciſionem obſervat. Sed eam tam adulta ætate ſuſcipit, qua Iſmahel patriarcha illorum circumciſus erat. Orta autem hæc ſecta proditur in Mecha oppido Arabiæ, anno ſalutis humanæ pene ſexingenteſimo, ſuggerentibus eam Iudæis, ibi poſt everſam Ieruſalem degentibus, machinatione cujuſdam Sergii monachi & apoſtatæ nefandi, in perniciem Chriſtianitatis.

Religionem ſuam aſſiduo conatu propagant. Diem à precatione auſpicantur, & precibus finiunt. quotidie mane, veſperi, & pomeridianis horis orant: nulla, quo id minus agant, neceſſitate avocari ſe ſinunt. non id opus in ſolos ſacerdotes rejiciunt: etſi illos ſolos à precatione & lege interpretanda habent. quilibet pro ſe tam clericus quam laicus pariter, & clam & coram hominibus turmatim in

cœtibus

cœtibus Deum confitentur. Semper ſobrii, aqua luſtrali membra loti, terram in qua cum Deo loquuntur, imitati ſacram ſcripturam, pro ſancta ducunt, & inſternunt. Nulli ſedilibus in fanis utuntur. characteres, præſcriptos & certos geſtus adhibent, palmas ad cœlum expandunt, genua flectunt, incurvantes ſe uſque in terram proni in faciem procidunt, toto corde & omnibus membris orationi incumbunt, in qua non valde multa verba repetunt, ſed hæc præcipua: *Soli Deo immortali Creatori cœli & terræ, præter quem non eſt alius, honor & gloria in ſecula ſeculorum.*

Precationi adjungunt jejunium. affligunt enim totos dies animas ſuas non ſolum fame & ſiti, ſed ab omni opere & verbis profanis abſtinentes, nihil præter divina curantes uſque ad intempeſtam noctem, capientes cibum non ad luxuriam, ſed ad virium refectionem. Rident jejunia noſtra, non fame, non ſiti, non cinere, non rerum divinarum contemplatione, non vigiliis, non orationibus condita.

Sunt & in eleemoſynis dandis liberales. neminem enim ſuorum unquam mendicari, aut fame vel algore perire patiuntur. Adhibent tamen in hac

hac beneficentia judicium. nam non dant iis qui eleemoſynam in ingluviem & luxum convertant: ſed pauperibus, debilibus, peregrinis, ſcholaſticis, literis & ritibus Religionis ipſorum cognoſcendæ ſtudentibus.

Arcana divina ſcrutari nefas prophanumque eſſe exiſtimant, noſtram temeritatem execrantes, quod quidam ex nobis de judiciis & ſecretis divinis, quæ magna abyſſus vocantur, in ſuis comeſſationibus diſputent, nomen divinum fruſtra uſurpent. Irrident Tartari noſtros *Eccleſiaſtas* ſeu prophetas, taxant templa ſupellectilis, ſedilium, ararum, ſimulacrorum, & Dei ad ſenectutem vergentis, & mulierum venuſtarum, laſciviam moventium, plena.

Nos æris pulſu, illi certis laudis divinæ verbis ac vociferationibus ad templa ſe invitant: nos quod in laudibus divinis aures delectemus noſtras, buccinis, organis, harmoniis, verba precationis obſcurantibus, & organis interea noſtris natutalibus ſilentibus, reprehendunt.

II. *De*

II.

De Tartarorum origine, moribus, tam domi quam in bello, diſciplina.

E Thuano lib. hiſtor. LXVII.

PER vaſtas Scythiæ ſolitudines ad ſeptemtrionem porrectas habitant Tatari in Europa & Aſia, quibus olim unus Chanus ſive dominus, nunc plures ſciſſo imperio dominantur. Proximi Polonis ſunt, quos & continuis excurſionibus vexant Præcopienſes Europæi Tatari, qui inter Tyram, hodie Neſterum dictum, & Beſſarabiæ ſive Valachiæ inferioris montes, lacum Vivodum & Bialogrodum civitatem, ad Pontum Euxinum habitant, & rurſus transTyram campos vaſtos inter eum & Bogum occupant; in quibus Oſcovia arx oppido celebri conjuncta, Olbiopolis olim Plinio & Ptolomæo appellata, ad Boryſthenis rapidiſſimi & latiſſimi oſtium ſita, qua in Carcinitum ſinum influit. Supra Oſcoviam IV milliaribus Bogus Boryſthene excipitur; qui ſi Hypanis eſt, ut autumat Martinus Broniovius, corrigendę ſunt Ptolomæi tabulæ, quæ Hypanim trans Bo-

Boryſthenem ortum verſus ponunt, cum Bogus ad occaſum Boryſtheni influat. In iis ſolitudinibus Sauramenſes campi & Circaſſii ſunt, & trans Boryſthenem Oſſovienſes ab arce & oppido dicti, quod in faucibus Tanais, qui eſt Donus hodie, qua Mæotidem paludem ingreditur, poſitum eſt. In iis ad peninſulam uſque, qua Dromon Achillei olim vocatam Boryſthenes & ſubjectus Carcinites ſinus efficiunt, per tuguria ac mapalia circiter XXX milliarium ſpatio late Tatari habitant. His adjacet Taurica Cherſoneſus *Peloponneſo* paullo minor, olim feritate damnata regio, & immani homines mactandi & immolandi ritu infamis, in cujus faucibus Precopia eſt, à qua Precopienſes Tatari appellantur. Heracleotis olim, ut creditur, dein Eupatoria & Pompeiopolis dicta, in qua Chani Tatarorum Palatinum ſeu præſidem, quem illi Begum vocant, perpetuum habent, qui Boryſthenis & Tanaïs trajectus ſervat, firmo addito præſidio, & foſſa ducta, in qua XVII turres excitatæ Sachainbeiero Chano in peninſula imperante, qui Tataros Noagienſeis in Aſiatica Tanaïs ripa de imperio illi controverſiam facienteis inſigni ac memorabili clade ad Precopiam

piam olim profligavit. Eo cum Chanus expeditionem aliquam ſuſcipit copiæ conveniunt; ſed nullum niſi conſulto Turcorum imperatore & conſentiente bellum ſuſcipere Chanus Tauricus poteſt niſi adverſus Moſcum, poſtquam Selimus peninſula in poteſtatem redacta Chanos Precopienſeis juris Othomanici fecit. In qua præter Precopiam dignitate antecellit Beccaſarium Principum domicilio clarum, cui quaſi adhæret Salatica, & modico intervallo Sortaſſus pagus adjacet, legatorum, qui ex Polonia, Moldavia, Moſcia adveniunt, diverſorio celebris, ubi plerique à Genuenſibus originem ducentes ædem Chriſtianis ſacris initiatam frequētant. Hinc non procul Crimenſis arx viſitur, ubi argenteorum numorum officina eſt. nam aurum omne Turcis ex conditionibus pacis à Selimo poſt debellatos Tataros datæ cedit. Eodem porro in oppido arx eſt, ubi Saro (ſic principem vocant) in bellum proficiſcente, uxores ejus cuſtodiuntur. Secundum iſtas urbes mediterraneas, præcipuæ ſunt juxta mare Cafa, olim Theodoſia, Genuenſium colonia portu & cōmercio inſignis, quam communi jure Turci cum Tataris adminiſtrant. In

templo ingens ibidem & pretioſa veterum librorum ſupellex noſtra adhuc memoria erat, donec Italicorum ſacerdotum vel ſordibus vel contaminata vita effectum eſt, ut templum ad Armenios transferretur. Oppida deinde numerantur Sudagra tribus arcibus munita, Balachenum, Iambogia, Ingermenum, Corſuna, quæ Cherſonitarum civitas appellabatur, olim ſplendore ædificiorum, marmoreis molibus, ac templis regali ſuperbia elaboratis conſpicua, nunc ruderibus ac ruinis deformis, aſportatis à Turcis & aliis victricibus nationibus huc illuc marmoreis & æreis rari operis columnis. Et à Chriſtianorum quidem reliquiis, quæ inibi ſunt, conſtanter proditur, Vlodimirum Roxolanorum Principem duas portas æris Corinthii & imagines ex monaſterii templo prędæ loco ablatas ſecum Kioviam deportaviſſe, quas Boleſlaus II Poloniæ rex poſtea inde Gneſnam, ubi ad majores tẽpli valvas hodie viſuntur, transtulerit. Vlodimirum autem illum eam urbem Ioanni Zimiſcæ Conſtantinopolitano imperatori eripuiſſe, quam Baſilii & Conſtantini Auguſtorum ſorore Anna in uxorem accepta & ſacris Chriſtianis ritu Græcorum in eodem mona-

monaſterio à Patriarcha quodam initiatus poſtea reſtituerit. Ante urbem promontorium eſt Parthenium Straboni dictum, & poſtea Margutium ſive Mancopia, & ultima Carcinitum ſinũ reſpiciens Coſtovia. Vinum heic nulla adhibita cura copioſe creſcit; fruges nullo labore, quaſi ſponte proveniunt; gregibus & armentis in peninſula innumeris paſcua abunde ſuppetunt, vireſcentibus etiam hieme pratis, quippe cum aqua nec glacie nec nive pruinave concreſcat; quo cœli temperamento fecunditas ſoli maxime adjuvatur. Fructibus affatim ſuppetentibus non ſolum modice, ſed etiam intra modum utuntur, & frugalitate valetudine firmata innatã fortitudinem tuentur, ab omni luxu & delicato victu alieni. atque adeo ebrietas inter eos grave crimen cenſetur; adulteria vero, quæ luxum conſequi amant, capite puniuntur. In civili adminiſtratione duo illa Iuſtitiæ columina, ut ne cui noceatur, & communi utilitati ſerviatur, religioſiſſime omnium ſervant, & quod magis mireris, in tam barbara & fera gente bellis & prædis aſſueta, nulla latrocinia aut furta ſunt, nullæ res amiſſæ deperduntur, adeo ut in ſolitudinibus illis iter facere,

facere, quam in frequentiſſimis regionibus & urbibus verſari plerunque ſit tutius: ſiquidem apud eos cum telo ambulantes tanquam ſicarii coërcentur. cetera crimina brevibus definita legibus, quarum cuſtodia & interpretatio penes Mahumetanæ ſectæ ſacerdotes eſt, ſevere vindicantur. Chanus ipſe, qui & Sarus dicitur, in jure dicundo aſſiduus eſt; cui à dextra Galga (ita militiæ præfectus vocatur) iſque maximus natu frater Sari eſt; à ſiniſtra Soldani, qui filii Principis ſunt, cum primum adoleverunt, cum aliis Senatoribus, qui Atali dicuntur, juri dicundo aſſidere ſolent; quorum rogatis ſententiis ille decernit, nec niſi finita lite inde pedem cuiquam movere licet. Sunt & in oppidis judices Haionati vulgo appellati, qui jus inter nobileis Murſos vulgo vocatos dicunt, & menſæ à Principe adhibentur: quod virtutis prœmium in mediocribus hominibus minime pervulgatur. Ceterum ex iis majore in dignatione ſunt, qui plures captivos poſſidét. cum moriuntur, arma præſtantiora cum equo præcipuo capit filius natu maximus; reliqua bona inter filios æqualiter dividuntur, tutela ad patruos delata. Principis frater, quem virtutis opinione

nione jam ante Galgam deſignaverunt, decedente Saro ad regnum vocatur, vel eo deficiente filius defuncti natu major. ceteris præter Soldani nomen honoremque nulla pars ditionis & imperii cedit. Princeps autem ipſe nulla prædia, nullum ex agris vectigal ærariumve habet, præter equos ex ſingulis fontibus ſingulos, & portoria, quæ ei cum Turcis communia ſunt: metalla item, præter aurum, quod ex fœdere Turci eſt, ejus propria, accedentibus ad hæc decimis ex prædiis omnibus; item ex ſingulis captivis majoris pretii III, ex vilioribus ſinguli aurei ſeu chequini Chano penduntur. Annonam populus domi & in militiam ſponte ſuppeditat, ex ærario etiam Turcico quinquies mille & IↃ aureos quotannis accipit, filio obſide dato. his tenuibus opibus immane quantum virium & copiarum ſuſtentatur, quæ omneis Chriſtianos exercitus numero vincunt. etenim ſi educere exercitum eſt opus, C L CIↃ equitum, in ſingulis tuguriis tantum relictis ſingulis viris, qui focos & lares tueantur, celerrime conveniunt; quibus ſi Circaſſii & Aſtracani ſe conjunxerint, ut fere ſolent, bis centum erunt & amplius millia. Si quis ad diem indictum non

non convenerit, capitale eſt. Singuli porro plureis equos ducunt, ſuiſque ſubito, ne paſcua vaſtent, finibus excurrunt, annonam militarem trium menſium ſecum portantes, carnem ſcilicet exſiccatam, allium, caſeum, herbarum radices, quas aromatum loco habent, & à noſtris ideo Tartaricæ vulgo vocantur. ditiores etiam ſpecies alias addunt. de pane & vino ſolliciti non ſunt; aquam etiam nullam obeſſe poſſe exiſtimant, allio prius ſumpto. Ligna quædam & una cum annona unico equo vehunt, quibus inſtar tugurii erectis palea ſuperpoſita, foliis arborum aut gramine teguntur. quæ ſi defecerint, detractis equorum ephippiis capita reliquo corpore intecto cooperiunt. Aliis equis pharetras & arcum imponunt. alios & fere viliores initio aſcendunt. ipſi de via fatigati ſumpto allio & iis, quas dixi, radicibus pro cibo utuntur, & vireis recreant, hauſto etiam pro vino ſanguine, & interdum equarum lacte, quod ſingulare adverſus famem, ſitim, æſtumque præſidium in deliciis habent. Pro vexillis dependenteis ex haſta crineis ac ſetas geſtant, excepto principis ſigno, quod à Turcorum imperatore acceptum ex holoſerico præferri

ferri ſolet. Inter incedendum nullum aciei agminisve ordinem ſervant. quoquo verſus circumſepto principe globi inſtar, quo pabuli copia ſuppetit, procedunt, nullis eos fluminibus, quæ vaſtiſſima & rapidiſſima illis locis ſunt, nullis aquarum gurgitibus tardantibus; ita & equi & homines ſimul natandi periti ſunt. & ſi quidem alta & late patens aqua fuerit, caudis equorum ephippia cum ſarcinis, adjunctis juncorum arundinumve faſciculis quibusdam alligant. ipſi jubis adhærentes nudi, laxato freno, altera manu virga vel ipſo alvei curſu quaſi gubernaculo, quo intendunt, equum impellente, transmittunt. ſic ubi contra humilior aqua obtigerit, in equum ex flumine inſiliunt, paullulumque interquieſcunt, dum equi ſpiritum ducere ac reſpirare poſſint. Principi autem transmiſſuro connexis equorum caudis & adjuncto juncorum plexu ſedes ſternitur. Vbi fretum aut mare ſuperandum occurrit, occiſis equis vilioribus pelleis detrahunt, ex iisq; inverſis ac pinguedine oblitis, etiam coſtis trabis loco intextis naviculas conſuto crinibus celeriter corio conficiunt, quibus ſingulis octoni homines cum totidem extra utrinque ad latera

attractis

attractis equis trãsportari queunt. ſin autem currus & vehicula traducenda fuerint, rotis exemptis crebros juncorum manipulos vehiculis imponunt, equorumque caudis annectunt, atque ita tanquam in navicula perito natatore equos dirigente trajiciunt. Si quid in transmittendo periculi inciderit, ſigno ex herbis poſito, ſocios, qui ſequuntur, præmonent; cujusmodi notis & interdiu vias diſtinguunt, noctu ut nautæ in mari ad parvam cynoſuram profectionis curſum dirigentes. Arma illis in uſu ſunt arcus, machæra, clavus ferreus & globus à fune aliquot ulnarum pendentes. haſtas & ſclopetos noſtros fere negligunt, in quibus curandis plus operæ quam in uſu utilitatis eſſe cenſent, atque adeo ad venationes domum relinquunt. Viros, quos hoſtili in ſolo obvios offenderunt, ne exploratas ipſorum copias enuncient, omneis occidunt, mulieres & pueros inviolatos relinquentes; neque donec revertantur. De captivis aut præda laborant, ſed omnia, niſi pactionibus aliter cautum fuerit, devaſtant ac perdunt. Vbi certamen incidit, neque prœlii fortunam temere tentare, nec niſi bene ominatis diebus periclitari ſolent,

Digitized by Google

ſolent , ac numquam fere univerſis copiis decernunt, ſed emiſſi aliquot , qui hoſtem velitatione pertentent , auxilia deinceps ſuis ſummittunt , quandiu eminus pugnare datur : ſin comminus erit neceſſe, horrendis clamoribus editis & denſatis agminibus vim faciunt. cum re geſta domum revertuntur , in finibus ante omnia ex communi præda damna, quæ ſocii acceperunt, arbitrio principis compenſant, tum reſiduum inter ſe æqualiter dividunt : ubi ſi quid quis ſocios celaverit, prædæ partem cum vita amittit. quo fit ut de victoria magis quam de prȩda ſolliciti ſint. Quam infeſti vicinis & in hoſtico terribiles, tã domi pacate & inter ſe innocenter degunt. & hieme quidem in tuguriis ſive mapalibus per vaſtos illos , quos dixi, campos ex materia tenui , limo, cœno vel pecorum & aliorum animalium fimo oblitis ac contectis ſe à frigoris aſperitate & cæli injuria defendunt. ineunte aprili cum uxoribus, liberis & omni familia, mancipiis, pecoribus & armentis in domibus rotundis vix quinque homineis capientibus (pileata tentoria vocat Laonicus Chalcondyles , quæ rotis duabus ſuſtentantur) quaſi in plauſtris va-

gantur, unde olim Hamaxobii appellari. Ex ea gente prodiit famoſiſſimus ille orientis vaſtator, & ſecundum Attilam Hunnorum Regem, alterum Dei flagellum Tamerlanus, homo ſpecie deformis, & altero pede claudus, nec vegeto ſatis ingenio. qui cum in Caramania ſeu Cilicia in ſchola operã literis daret, à condiſcipulis quaſi per ludibrium in ludo electus eſt, ceteris puerilem dignitatem refutantibus. qua ille tamen joco accepta poſtea ſerio uſus eſt. nam adultior in illa ſociorum frequentia animos vere regios ſumpſit, & contractis jam penes ſe majoribus copiis blandiente licentia etiam multos eorum, qui Baiazeti tunc militabant, ad ſe ludicri regni ſpecie pellexit. quibus poſtremo fretus, Baiazetem, qui parva hæc initia imprudenter contempſerat, poſtremo ad prœlium adactum, fuſumq; ac captum, fœdiſſimam ſervire ſervitutem coegit. quod vero è literario ludo prodiiſſet, quibus iiſdem initiis & Scirifiorum, qui nunc in Mauritania regnant, imperium fundatum eſt, ut ſuo loco diximus, cum Turcica lingua Thamer diceretur, Tamerlanus appellatus eſt, quaſi Thamer è ſchola dicas. nam Turcis, lanus, ſchola eſt;

quam-

Digitized by Google

quamvis alii Temurem dicant, cui Leugi, quod claudus eſſet, cognomentum additum ſit. Tartarorum autem nomen circa annum clↄcc XXVIII primum innotuit; qui bipartito agmine Europam & Aſiam eodem tempore invaſerunt. & qui Aſiam petiere, Georgianam ſuperioremq, Armeniã pervagati, Iconium uſque, Turcorum regiam, pervenere. alia manu Batho duce, vaſtatis Susdalis & Smolenſibus Moſcoviæ provinciis & Kiovia Ruſſorum metropoli funditus deſtructa, Poloniam & Hungariã ingreſſi, Sendomiria ac Cracovia à Boleſlao Pudico deſertis, etiam Vratiſlavia potiti ſunt, & Henricum Pium Quadorum ducem S. Heduigis filium ad Lignitiam cum exercitu trucidarunt. inde in Marcomannos deſcendentes in Hungaria conjunctis viribus etiam Belam quater profligant anno illius ſeculi XLI; biennioq; in ea conſumpto per Valachiam & Podoliam domum redeunt. Quo tempore Innocentius IIII P. R. miſſis ex concilio Lugdunenſi legatis Bathum, ut religionem Chriſtianam ſuſciperet, hortatus eſt, exiguo fructu. nam ille quidem inducias aliquot annorum conceſſit; ceterum Saracenis inſtigantibus Mahume-

tanam perfidiam conſtanter amplexus eſt. Cum autem gens ea Scythica initio in VII veluti tribus ſeu hordas diſtributa eſſet, quarum hæc erant nomina, Tartar, Tangur, Cunat, Tatair, Sonic, Mongli, Tebeta; & anguſtam inter Ripæos montes & mare Caſpium pro multitudine regionem à Georgianorum regulis in Aſia incolerent: ſenex quidam prudentiæ & ſanctitatis opinione inter eos inſignis ex tribu Tartar, Changius nomine, ſocios ad libertatem vocavit, iisque ſe ducem præbuit; qui ex anguſtiis illis egreſſi, quum felici victoriarum curſu late imperium in Aſia propagaſſent, Tartari à tribu ſua univerſi dicti ſunt. alii à Tataro fluvio, cujus accolæ Sumogli ſunt, dici volũt, & in iis Ioannes Leunclaius harum rerum diligẽs ſcriptor. alii denique Tartaros lingua Syriaca reſiduos ac reliquos dici autumant, quaſi hi ex Iſraëlitarum fæce reliquiæ ſint; cui rei firmandæ argumento eſt, quod illi etiam ante Mahumetis adventum circumciſione, utpote à Iudæis accepta, uterentur.

III.

Tractatus de Tartaris Præcopenſibus, Cherſoneſiis & Boſporiis.

TAurica Cherſoneſus, arboris folio ſimilis eſt, quod pediculo ſuo Scythiæ continenti jungitur, ac alteram alam in paludẽ Mæotidem, alteram vero una cum extremitate aut cuſpide in Mare majus extendit. Veteres Gazariam eam dixerunt; ac celebris fuit tum propter ſoli ubertatem, tum etiam propter piſcationes. Longo tempore ſub variis fuit dominis, qui Principes Boſporani vocabantur; ac confuſa fuit regiminis forma, donec eam Tauri, Scythiæ populi, occuparunt, ac Tauricam eam nominarunt. Mithridates poſtea Rex Ponti, hos devicit, ac provinciam vaſto ſuo adjecit imperio, ut qui ejuſmodi acquiſitionibus, tanto potentior eſſet contra Romanos. quos etiam bello aggredi auſus eſt; in quo tamen nihil fecit aliud, quam quod propriam ſibi acceleravit ruinam. A Romanis enim victus, non Tauricam modo & Boſporum cum aliis ſuis novis acquiſitis, ſed & Pontum (regnum ſuum proprium) amiſit. Et poſt hanc victo-

victoriam, Romani novos in hiſce partibus conſtituerunt reges, quos Boſpori Reges appellarunt.

In Imperii diviſione provinciæ hæ orienti aſſcriptæ ſunt: quo nomine etiam Genuenſes, qui tunc in flore erant, majorem ac meliorem Tauricæ partem claſſibus ſuis occuparunt, novamque coloniam Theodoſiam (quæ hodie Caffa dicitur) deduxerunt, ac totam fere maritimam Provinciæ partem poſſederunt. Anno poſtea cIↄ cc L, Tartari vi eam ingreſſi, Genuenſes quidem non prorſus expulerunt, quamvis maximis eos affecerint damnis, donec in dona quędam tributorũ loco conſentire coacti ſunt, Tartaris reliquum, tam in paludis Mæotidis & Maris majoris littoribus, quam in continenti, campis ſcilicet fertiliſſimis, ac etiam extra peninſulam, eam Scythiæ partem, quæ Crimæa dicitur, uſque ad montes Riphæos poſſidentibus.

In hoc itaque tractu nunc Tartari Precopenſes habitant, qui magnam atque amplam tam in longitudine, quam in latitudine regionem poſſident, ac dominium ſuum, uſque ad Tanaim Europæ terminum verſus Orientem, & ultra Boryſthenem verſus

ſus Occidentem extendunt, ubi Polonorum contingunt limites; ac illi ipſi ſunt, qui frequentibus ſuis excurſionibus Poloniæ à partibus Podoliæ & Roſciæ ſunt infeſti; quemadmodum & Moſcoviæ, quam ad Septentrionem contingunt, multa damna inferunt. A Meridie Turcas ſibi habent imminentes, qui maximam ac meliorem nunc Tauricæ partem poſſident, & præcipue Caffam Genuenſium, ut dixi, coloniam, quam Mahometh ille, qui anno cIↃcccc xxv Conſtantinopolim cepit, ipſis extorſit. Vbi Genuenſes (amiſſa Pera, atque omni alia commoditate ſubſidii ad illorum locorum defenſionem ſubmittendi) non deſtiterunt tamen terreſtri ex Italia aliquot equitum turmas, tanta cura, tamque memorabili ſimul & mirabili alacritate, tantiſque ſumptibus mittere, ut vel maximum totius mundi Principem, præter tam longi itineris pericula, detinere potuiſſent. nequaquam tamen & potentiæ & felicitati Mahometis reſiſtere potuerunt. Eodem hic tempore Tartaros Precopenſes tantum non in ſervitutem redegit, coactos ut ipſius ſigna (quocunque etiam vocarentur) vel minimis ſequerentur ſtipendiis. Ne-

que ullis aliis unquam familia Ottomanica, quam hisce Tartaris, usa est; ac his ipsis Baiazethes quoque contra patrem, contracta cum ipsis affinitate, usus est. Verum quidem est, quod, quum majori coguntur exire numero, Nochaienses in societatem vocent, qui ultra Tanaim in proximis Asiæ limitibus habitant, ac numerosissimi sunt, atque ex principali sua horda usque ad septuaginta colonias deduxerint: sed tamen Turcæ nunquam eum quem possent educunt numerum, veriti ne vim aliquando ab ipsis patiantur: neque etiam Procopenses ex suo territorio plures quam triginta aut quadraginta, ad summum, equitum (nam pedites non militant) educunt, qui non amplius quam unicum Sultaninum (monetæ genus est) pro toto anno, in stipendio accipiunt, cætera rapto aut ex præda quærere coacti.

Sub suo hi vivunt Rege, qui pro more Chan aut Czar dicitur. Familia autem Regia Cherei vocatur. Ingeniosi sunt, & animosiores quam reliqui in vicinia Tartari. Regia ipsorum civitas olim Solgati, ab aliis autem Crim dicebatur, in superiori Taurica sita; unde & illi populi ab ali-

aliquibus Hiſtoricis Crimenſes, quemadmodum & illa extra Iſthmum provincia Taurica Crimæa (quod, ut Polonorum dicunt Hiſtoriæ, munitionem ſignificat) vocatur. Sed ego antiquius illud puto eſſe nomen, atque illud eſſe emporium cujus Herodotus meminit, Cremini illud vocans, ac nomen explicans, dicendo: Id eſt Prærupta. quod ita deſcribit, ut prorie ſitui in quo Crim eſt conveniat. Poſtquam autem hæc natio pedem in Taurica fixit, regiam quoque ſedem eo ac in civitatem Bavaſaria tranſtulit, quæ in Tauricæ meditullio ſub montibus jacet, qui ab oriente verſus occidentem extenſi, totam eam regionem in duas partes fere æquales dividunt; quarum optimam (verſus meridiem nimirum) hodie Turcæ poſſident; altera (ſeptentrionali ſcilicet) Tartaris relicta. Habent autem & alias civitates in peninſula hac, nẽpe Cherchiarden, Cremum, Surgati, Taffre, hodie Precopiam dictam: extra vero peninſulam uſque ad Boryſthenis ripas, habent Nigropolim, ac alias, nullius tamen momenti, civitates. Et ultra Boryſthenem eſt Orcicovia, in qua Princeps plerunq; propter Maris commoditatem, & quod Poloniæ ſit vicinior.

nior, & ad excurſiones opportunior, habitat.

Nomen Præcopenſes à foſſa habent: nam *prezecop* ipſorum lingua foſſam ſignificat. Putant autem aliqui foſſam hanc in Tauricæ iſthmo factam, eo nimirum perfoſſo, ut inſulam eam facerent. Sed quum nemo ſit, qui id pro certo doceat, non poſſum & ego dicere, quæ aut qualis ea foſſa fuerit, à qua nomen hoc deſumpſerint, an nimirum ad fortificationem aut munitionem, an vero ad irrigandum ſolum ducta ſit: neque quiſquam mihi hactenus (quamvis diligenter inquirenti) occurrit, qui certi quid hac de re attulerit. Neque ego etiam adduci poſſum ut credam eam hanc eſſe foſſam, cujus Herodotus *libro quarto* meminit: quod nimirum Scythis à longa & diuturna illa Aſiæ & Mediæ expeditione redeuntibus, ac uxoribus tantæ abſentiæ tædio ſervis ſibi conjugio junctis, ex quibus numeroſam juventutem ſuſceperant, inventis, bello eam adorti ſint, in quo hæc ad ſui defenſionem à Tauricis montibus uſque ad paludem Mæotidem latam foſſam dixerit: Nam ſi nomen ipſis hinc dandum, neceſſe erit ut ipſorum ea Tartarorum opus fuerit;

fuerit; alias enim neſcio quomodo ab eo antiquo opere cognominari ita poſſint. Verum ſi ſit qui me informet, nullam aliam in ea provincia eſſe foſſam notabilem, quam hanc à Scytharum nothis ductam, aſſentirer forte. In medio autem relinquo, hoc ſaltem addens, quod foſſa hæc à ſervorum (qui cœci plerique erant) filiis ac Scytharum nothis ducta, Oriza nominata fuerit, fortaſſis à fine: Ideo enim à montibus Tauricis qui in Scythia erant (è qua illi egreſſi ſunt qui Cherſoneſo de qua nunc agimus, nomen dederunt) uſque ad paludem Mæotidem eam deduxerunt, ut ea regione, quæ Cherſoneſus non erat, domum redeuntes dominos excluderent.

Cherſoneſus, aut Cherroneſus (eodem enim modo ſcribitur) Græca vox eſt, & peninſulam ſignificat, hoc eſt, regionem totam fere aqua circundatam. Veneti corrupte Poloneſam (*Poleſine*, aut *Poleſcne*) vocant: quod nomen non à Pò (ſic Padum dicunt) derivatum, ut putant aliqui, ſed à voce Peninſula corrupta deductum.

Sunt & aliæ Provinciæ, præter Tauricam, quæ Cherſoneſi dicuntur; nempe Cimbrica & Aurea, & aliæ ſimiles, quarum aliæ aliis ſunt celebriores: imo

eſt

eſt & quæ particulari hoc gaudebat olim nomine, quæ nunc Galipolis; & ſita eſt inter anguſtias *il Stretto di Galipoli* Italiæ dictas, & ſinum Candiæ. & in ipſa Græcia duæ quoque ſimiles reperiuntur peninſulæ, in ſinu Salonichiano ſeu Theſſalonicenſi: quarum alteram Acanthin, ejusque iſthmum Acanthion vocarunt: altera hodie caput ſancti Gregorii dicitur. Extra Græciam tota Africa peninſula eſt, neque ampliore quam ſexaginta milliarium in latitudinem cõtinenti jungitur ſpatio aut iſthmo. Morea quoque, quam veteres Peloponneſum vocarunt, peninſula eſt, & forma & magnitudine Tauricæ fere ſimilis. Peninſula itidem eſt Scandia, aut Scandinavia dicta, quæ Regna Suetiæ, Norvegiæ, & Daniæ partem, cum Bodnia & Finmarchia continet, ac uſque ad Mare glaciale, à quo & ſinu Bodnico aut Finnico parvo ſeparatur terræ ſpatio, extenditur. Peninſula quoque eſt Peru, aut America Peruviana, hoc eſt, tota illa Novi mundi pars, quæ undique Mari ſeptentrionali, quod *Mare del Nort*, & Mari meridionali, quod *Mare del Zur* nautæ vocant, alluitur: ac verſus meridiem freto Magellanico à continente ſeparatur: verſus ſeptentrionem autem

tem

Digitized by Google

tem parvo iſthmo eidem jungitur, ut in tabula Mercatoris & aliorum videre eſt. Hinc paulo ulterius occurrit alia peninſula, verſus ſinum Mexicanum, quæ Iucatan provincia dicitur. De harum autem peninſularum aliquibus, præcipue autem de Taurica, Cimbrica, & Aurea, proferam ea quæ notabiliora ſunt, aut ſaltem ea quæ in mentem mihi revenient. Et quia Taurica huic diſſertationi præcipue occaſionem præbuit, pauca quædam, præter ea quæ ſuperius dicta ſunt, de ea adjiciam.

Hæc à ſcriptoribus vocatur aliquando Taurica, aliquando vero Scythia: à recentioribus autem Gazaria dicitur. In circuitu habet circa I ↄ milliaria. In altero latere occidentem verſus alia eſt parva peninſula, quam proprio nomine Cherroneſum vocant, in cujus ſuperiore parte civitas eſt antiqua, eodem nomine celebris. Solebat autem hæc Cherſoneſus eſſe provincia valde populoſa; ac circiter triginta in ea civitates fuiſſe memorantur. Quod factum eſt propter magnam omnium ad victum neceſſariorum ibidem copiam, mari piſces & vicina Scythia, vinum vero & frumenta ipſa terra in magna abundãtia ſubminiſtrantibus:

tota enim frumentorum fertiliſſima eſt, unde & habitatores ejus agricolæ dicuntur, ad vicinorum Scytharum (qui Nomades, id eſt, paſtores dicuntur) differentiam: qui ipſi frumentis etiam Mithridati regi tributum pendebant: Et teſtantur hiſtoriæ, quod Græciam aliquando paverint, quemadmodum & hodie magna copia Conſtantinopolim deportatur. Præcipuæ autem merces, quæ ab illis proveniunt partibus, ſunt ſal, mel, quod ſubamarum eſt, & cera. Frequentes enim ibi ſunt ſylvæ, in quibus apes alvearia ſua condunt. Item piſces ſale conditi, qui tum in Mari majori, tum in palude Mæotide, maxima capiuntur copia. Atque hinc frequens Caffæ erat mercatus, dum in Genuenſium fuit poteſtate. Sed tamen Tanæ, ad Tanaïs fluminis fauces ſitæ, ubi in paludem Mæotim id ſe exonerat, frequentior fuit mercatus. Eo enim & aromata ab Indicis maribus ad Indum fluvium, hinc ad Oxam, inde ad mare Caſpium, atque inde rurſus ab oriente occidentem verſus, uſque ad Citracanum aut Aſtracanum, celeberrimum ejus temporis Tartarorum Aſtracanenſium emporium, hodie Moſcovitis ad Volgæ fauces ſitum, ac Rha dictum,

Digitized by Google

ctum, inde demum Tanam Carovanis deportabantur, atque Venetorum & Genuenſium navibus in Italiam delata, in alias quoque provincias diſtrahebantur.

Illis temporibus Veneti ſuos conſules atque alios nobiles propter commercia illa tam in Caffa quam in Tana habebant. Noſtro autem hoc tempore, longe diverſo itinere aromata illa devehuntur, nequé forte abſque inſigni Divinæ providentiæ conſilio; quæ non vult, ut unus idemque populus tantis ſemper gaudeat divitiis, ſed per ejusmodi viciſſitudines ita eas repartitur, ut omnes iis frui poſſint. Præter autem frumenta aliasque merces Conſtantinopolim etiam deportantur piſces ſale confecti, atq; omnis generis ſalſamenta, quæ per totam inde ſparguntur Græciam, ac loca ei vicina, usque ad Italiam etiam, ut ſunt ſturiones, palamides, & botarghæ majores, quæ cera inducuntur: minores autem aliunde veniunt, nempe è ſinu Sartano, (*Golfo di Sarta* Italice dicto) prope Corfu: & è Bojana prope Albaniæ Scutarium, ac aliis.

Nulla autem amplius vel Caffam, vel Tanam Italica commeant navigia, neque etiam aliorum populorum Chriſtia-

Chriſtianorum, ne ſe indiſcretæ Turcarum barbariei exponant. Veniunt autem aliquando Genuam Caffanæ naves. Vectores quoque ſe à Gennenſibus deſcendere profitentur, cæterum tamen & morum & linguæ & religionis patriæ obliti, maxima ſua propria culpa, cum vix centum & quinquaginta annos ſub Turcarum fuerint poteſtate. Audio interim eſſe homines ſic ſatis civiles, forte propter Italicam originem, aut etiam cœli inclinationem aliquam. Sub ſexto enim habitant climate, in regione frigidiuſcula; quæ quamvis vites ferat, ac uvas ad maturitatem producat, brumæ tamen tẽpore terra operiendæ ſunt, quemadmodum & in majore Germaniæ parte fieri ſolet.

Iſthmum autem, aut anguſtum illud ſolum, è quo peninſula hæc à continente dependet, ut Strabo dicit, ab aliquibus octuaginta in latitudinem patere putatur milliaribus: ac ſcripſit ipſe, ſuperius nominatum Mithridatem Eupatorem muro eum clauſiſſe. Sed credo etiam in hoc ſpacio numerari lacum, qui paludis Mœotidis pars eſt, atque in ipſo iſthmo reſtagnat, in quem per anguſtum canalem ingreditur. Atque terræ illius ſpacium multo

erit

erit anguſtius, ac folii, cui & Tauricam aſſimilavimus, pediculo perſimilem: quod & ab incolis, cum Itali ſua ibi adhuc haberent commercia, *Zuccola* vocabatur. Quod nomen neſcio an ab Italis mutuarint qui cucurbitam *Zuccam* dicunt, quaſi cucurbitæ folio eſſet ſimilis; an vero barbara ſit, ac aliud quidpiam ſignificet. Hoc autem obſervavit Strabo in hujus regionis deſcriptione, quod quamvis extra noſtrum ſit propoſitum, non tamen incommode hoc inſeretur loco: nimirum primum qui Boſpori hujus ſuſcepit dominium, Pariſadem fuiſſe nominatum, cujus poſteri multis poſtea ſeculis in eo regnarunt, donec tandem ſub ejusdem nominis poſtremo in Mithridatis poteſtaté devenit. Quod & in aliis regnis obſervatum eſt, quæ in eodem quo cœperunt nomine tandem deſierunt. Imperium Romanum in Auguſto cœpit: in Auguſto aut Auguſtulo deſiit. Gothorum in Italia Regnum ab Alarico fundatum, in alio Alarico extinctum eſt atque deletum. Conſtantinopolitanum Chriſtianorum Imperium in Conſtantino S. Helenæ filio initium habuit: ſub alio Conſtantino, etiam Helenæ, ſed non Sanctæ, filio finem ſortitum eſt.

Faxit Deus Omnipotens, ut etiam aliquando in Mahumethe & ſectam & tyrannidem Turcicam finiri videamus, quemadmodum & in Mahumethe cœperunt, & multis indiciis in occaſum vergere videntur. Et hęc quo ad Tauricam Cherſoneſum ſufficiant.

Operæ pretium nunc erit ut de Boſphoro (ſeu Boſporo potius) aliquid dicamus. Non autem hoc Provinciæ nomen eſt, niſi valde improprie ſumatur, ſed anguſtiam ſignificat, per quã mare ex uno in alterum perfluit ſinum: neq; hoc nomine plures quam hæ duæ, Thracia nimirum & Cimmeria, appellatæ ſunt: ut altera Bosporus Thracius, altera Cimmerius dicatur. Imo nomen hoc ab una ad aliam translatum aut derivatum eſt. Fabuloſus enim ille Io virginis in vaccam mutatæ è Thracia in oppoſita Aſiæ littora tranſitus, nomen huic anguſtiæ dedit, ut Bosporus diceretur, tanquam *Bovis tranſitus.* atque hinc illud nomen alteri quoque anguſtiæ propter ſimilitudinem inditum eſt, ut Boſporus Cimmerius diceretur, per quam palus Mæotis in Mare majus ſe exonerat, quemadmodum & per Thracium Boſporum Mare majus in (Aegæum) & inde in Mediterraneum

raneum illabitur. Ambobus hiſce Boſporis Europa ab Aſia ſeparatur: atq; hi & Tanais, *Don* nunc dictus, veri ejus ſunt termini. Diſtant autem quingentis inter ſe milliaribus. Thracius, ubi anguſtiſſimus eſt, eam habet latitudinem, ut canum latratus, & gallorum cantus ab una in altera audiantur ripa, imo & diſtinctæ hominum voces, cum venti quieſcunt. Hic Thracius, ille Cimmerius à proximis vocatur provinciis. Thracius ab uno latere habet Conſtantinopolim, ab altero vero Chalcedoniam, hodie Scutarin dictam. Bithyniæ hæc civitas eſt, à Megarenſibus olim ædificata, unde ab oraculo tanquam cæci deriſi ſunt, quod tam felicem Conſtantinopoleos ſitum nec elegerint nec viderint: ubi hic omnibus carebat commoditatibus, propter rationes quas recitat Polybius, quæ hic & nimis longæ relatu, nec ita faciles intellectu ſunt.

Hunc Boſporum audio ab iis qui viderunt, à Propontide usque ad Mare majus, ad viginti extendi milliaria: ac nunc ab utraq; ripa ſumptuoſis palatiis & hortis amœniſſimis eſſe ornatum, quamvis ſolum ſua natura ſterile ac arenoſum ſit: unde magna hic opus erat induſtria. Sed Imperii

Ottomannici magnitudo, atque ejus aulæ divitiæ naturam ſuperarunt: quamvis maxima tantarum fabricarum cauſa, & frequentium illarum habitationum, gubernationis iniquitati attribui poſſit. Nam qui ibi vel minimum poſſidere putatur, continuis miniſtrorum (ſeu aulicorum Turcicorum) extorſionibus expoſitus eſt: unde etiam qui aliquid habent, quantum poſſunt procurant ut Portæ aut aulæ vicini habitent, ubi aliquanto meliore vivitur & proceditur juſtitia, aut ſaltem aliquo ejus meliore reſpectu. Vnde & illi qui ex hac Conſtantinopolios ejuſque pomœriorum dilatatione & augmento, quo totam potius provinciam habitatam quam civitatem refert, potentiæ ac magnitudinis Imperii argumenta deducunt, falli poſſunt. Quinimo timoris potius & debilitatis hoc certiſſimum eſt ſignum. Eſt enim tanquam concurſus aliquis ſanguinis ex membris remotioribus ad cor, quo vel ipſum aliquando ſuffocatur: aut tanquam lien, quod quanto magis in corpore humano creſcit, tanto reliqua decreſcũt mẽbra. Et huic ſolebat Conſtantinus Imperator fiſcum comparare Principum.

Boſporum hunc Darius Xerxis pater,

ter, contra Græcos exercitum movens, inſtravit. Xerxes autem Helleſpontum, qui hodie Fretum Galipolios vocatur, ubi *Dardanelle* Italis dictæ (aut *Dardanelli*) nunc ſunt, ponte junxit. Hic autem non vocatur Boſporus: quamvis inter ipſas Dardanellas, caſtra in utraque ripa poſita, quæ veteres Seſtum & Abydum dixerunt, non habeat majoré quam unius miliaris latitudinem, paulatim tamen poſtea in amplius diſtéditur ſpatium.

Boſporus Cimmerius, qui ab Italis vulgo *Voſpero*, aut *Bocca di S. Giovanni* dicitur, ut Strabo putat, nomen hoc à Cimbris ſortitus eſt. Sed ego falli eum arbitror: Cimmeriæ enim nomen multo antiquius & ab Homeri temporibus cognitum fuit. Thracio hic latior eſt: in aliquibus enim locis ripæ latius quam milliari inter ſe diſtant; in aliquibus etiam uſque ad duo etiam, & ulterius. In longitudine autem, qua (ut dixi) Europam ab Aſia ſeparat, ad ſeptuaginta ſe extendit milliaria. In qua menſura (ſi non hallucinantur illi qui vidiſſe ſe profitentur) Polybium & qui eum ſequuntur neceſſario inſigniter erraſſe credendum eſt. Spectaculum autem præbet amœniſſimum, multis in

in utraque ripa ornatus civitatibus, quæ celebres apud veteres fuerunt, & præcipue illa, quam Panticapean aut Boſporum in ſpecie nominarunt, in qua frequens erat mercatus. *Itali* hodie Voſperum, incolæ autem Cherz eam vocant. In Europæ latere ſita eſt, nimirum in Taurica, in ipſo canalis medio, à quo civitati nomen inditum eſt: quamvis veri Boſporani dicebantur olim illi qui ab altera canalis parte habitabant: qui etiam Imperio ſuo uſque in Tauricam prolato, nomen etiam ſuæ eo intulerunt nationis. Sed ego credo olim Boſporanos dictos, quos nunc Circaſſos, aut Zicchos vocamus, homines à Tartaris ducentes originem, ſed profeſſione Chriſtianos, ritu autem Græco; de cætero autem nulli rei niſi furtis & latrociniis intentos.

Boſporus hic Cimmerius, quemadmodum & vicinæ paludis Mæotidis partes, hyberno tempore ita congelantur ac indureſcunt frigore, ut non ſolum equos & carros onuſtos, ſed etiam integros ferant exercitus. Imo de Mithridate tradunt hiſtoriæ, quod Boſphoranos eodem in loco æſtate prælio navali vicerit, quo hyeme eos equeſtri ſuperaverat. Vnde etiam apud

Digitized by Google

apud Romanos in proverbium ceſſit, Frigus Cimmerium; ut omnes regiones frigidiores Cimmerias vocarent. Nondum enim magis verſus ſeptentrionem jacentes regiones, neque Norvegiam, minus etiam Scricfinniam, aut Finmarchiam, aut Gronlandiam, aut novam Zemblam cognoverant. Quamvis credibile ſit ipſos Iſlandiam inſulam vidiſſe, quæ circiter viginti gradibus Cimmeria ſeptentrionalior eſt, ac eam Thylen dixiſſe. Sed illi qui aliquanto melius in hiſtoriarum lectione ſunt verſati, hanc facile rejicient opinionem, quamvis communem. Non enim Iſlandiam, ſed Scandiam hoc nominarunt modo, quam in expeditionibus Anglicanis detexerunt; neque unquam ad Iſlandiam, vel ad mille uſque milliaria acceſſerunt. Atque hæc ſunt quæ de Boſporo Thracio & Cimmerio dicenda occurrebant.

Sunt quidem in diverſis mundi partibus & aliæ ejuſmodi anguſtiæ, ſed neque hoc notatæ nomine, neque tam celebres, excepto freto Magellanico, admirabili naturæ opere, de quo forte aliqua dicenda erunt, cum de Peruviana peninſula tractabimus. Superius quoque Helleſponti feci mentionem, qui

qui etiam fretum Galipolitanum dicitur, ubi duo ſunt caſtella, quæ Dardanella vocantur. Alia quoque eſt ejuſmodi anguſtia, in ſinus Lepanthi ingreſſu, ubi etiam duo ſunt eodem nomine caſtella. In ipſa quoque Taurica, de qua ſuperius egimus, fretum etiam tale eſt in Iſthmo, quod è palude Mæotide in alium lacum extenditur, quam Buges fluvius, è montibus Riphæis deſcendens, efficit. Hujus autem nulla eſt apud hiſtoricos mentio. Stagni quidem meminerunt aliqui, & Strabo lacum Putrem, aut Sapram, (quod idem eſt) nominat, ab effectu ſcilicet, & ob putredinem aquæ. Alii Bricen vocant. Et videtur innuere ibidem Strabo, quod lacu illo Putri non numerato, Iſthmus non amplius quam quinque milliaria in latitudine habeat. Neque dubito quin in tam immenſis terræ mariſque ſpaciis, plures, ut dixi, aliæ ejuſmodi anguſtiæ inveniantur, ſed his neque ſimiles, neque tam celebres, neque etiam hoc notatas nomine, cum,quo Græci non pervenerunt,neque etiam nomen tale pervenire potuerit. Græcum enim nomen Boſporus eſt, & voce & hiſtoria, ſive fabula, quod ipſi nulli alii anguſtiæ aut freto indiderũt quam hiſce

duo-

duobus, Cimmerio videlicet & Thracio: atque illi propter eam quam cum hoc habet ſimilitudinem. Et ſciendum, Græcos & in Taurica, & in Cimmeria ac Boſporo habitaſſe: ac omnes fere civitates ab ipſis & eorum coloniis ædificatas eſſe, vel ex nominibus (quanquam ad Barbariſmum inflexis) certum eſt.

An autem ab initio ab univerſæ hujus fabricæ autore & creatore Deo ita factæ ac ordinatæ; an vero poſt aliquem annorum decurſum natura vi ſibi viam faciens eas aperuerit, ut nimio ſe exoneraret pondere, neque ego dicere poſſum, neque quemquam pro certo affirmaturum puto: ſed conjecturis hic agendum eſt.

Et revera qui mundi poſitionem conſiderat, ac Scythiæ altitudinem perpendit, à qua tot in paludem Mæotidem deſcendunt fluvii, facile is credet, quod cum ea tantam aquarum copiam ac colluviem retinere non poſſit, ideo præcipue quod & ipſa paulo ſit altior, neque adeo profunda ſit, naturali ponderis ſui violentia viam ſibi per eas partes, in quibus minus vel à montibus, vel à ſaxis, vel ab aliqua altitudine inſuperabili, impedimenti

menti fuit, inundationibus per loca ſubjecta decurrens aperuerit: impetum etiam augente aliorum fluminum, quæ è diverſis regionibus & locis in eam illabuntur, decurſu, ac in iiſdem partibus concurſu. Ita etiam, quod Boryſthene, Tiro, Danubio, qui à partibus Occidentalibus præcipuus eſt, ac aliis fere infinitis, à circumjacentibus Aſiæ regionibus in mare majus, aut Mare nigrum, ut nunc vocant, (*Veteres Pontum Euxinum, aut Axenum, id eſt, inhoſpitalem aut innavigabilem, dixerunt*) irruentibus, hoc nimio pondere gravatum, ac toto ejus impleto ſpacio, exitum ſibi per Boſporum Thracium fecerit; ac poſtea rurſus Propontide, quam *Mar de marmora* hodie vocant, impleta, per Helleſpontum aut fretum Gallipoleos, in loca ſe inferiora effuderit: ubi novis rurſus reſtagnantibus aquis, novum mare effecerit quod Adriaticum aut mediterraneum vocant. Quo etiam repleto ac multis maximis aucto fluviis, ne littora ſibi oppoſita inundaret, viam ſibi vi ac celeri decurſu in Siciliam & Africam aperuit: quæ cum ſatis ampla non eſſet, perrupto etiam eo impedimento, Siciliam etiam ab Italia ſeparaverit, ut per duo illa

oſtia

Digitized by Google

oſtia liberius in oceanum procurrere, eique ſe jungere poſſet. Hac tali quali facta conjectura, veniamus etiam ad Columnas Herculis, aut Fretum Herculeum, quod hodie *Stretto di Gibraltar* vocant. De quo aliqui pro certo affirmant, quod ex aquæ impetu quæ viam vi ſibi fecerit, provenerit. Id ſi verum eſſet (quod equidem affirmare non auſim, ſed probabilibus tantum innixus rationibus,) dicerem, quod quemadmodum palus Mæotis veteribus Majoris appellabatur mater, ita & Mediterranei maris pater dici poſſit. Atque hæc mea opinio eo fit veriſimilior, quod experientia doceat, tam paludem Mæotidem per Boſporum Cimmerium, quam Mare majus per Thracium ſemper abſque intermiſſione fluere, ac immenſam aquarum copiam provolvere, quæ nullo eo refluxu redeunt.

Dicamus etiam aliquid de palude Mæotide. Vocatur illa à recentioribus mare Tanæ, aut mare Zabacharum, aut mare Ciabaci. de cujus nominis etymo aut origine nihil habeo quod dicam. De primo autem dicunt, deductum illud eſſe ab ejus regionis populis qui Mæotes olim dicebantur. Secundum à Tanai fluvio habet,

habet, ita magnis duobus oſtiis in paludem effunditur, ita ut ab eo ſolo ea fieri putetur. Palus quidem dicitur, quaſi ſtagnans aliquis eſſet lacus & limo oppletus: ſed revera mare potius eſt, quod mille in circuitu habet milliaria, quamvis Iornandus Gottus centum & quadraginta ſaltem (qui proculdubio manifeſtus eſt error) ei tribuat. Multas habet in circuitu civitates populoſas. Romani nullam ejus habuerunt notitiam, niſi poſt Mithridatica bella. Tota plerunque hyeme congelatur, ea ſaltem excepta parte quam Tanais ſuo impetu movet ne concreſcat, quemadmodum & ipſe ſolus ex omnibus ejus regionis fluminibus, propter ſuam rapiditatem, frigore non conſtringitur. Cauſa autem quod palus dicitur, eſt quia adeo eſt humilis, ut non niſi ſcaphis & minoribus navigiis navigari poſſit; neque enim tempore Polybii, ut ipſe ſcribit, in maxima altitudine ultra quinque cubitos habebat. Iornandus autem octo eum in aliquibus locis habere dicit. Et judicat Polybius temporis progreſſu minorem eam futuram, propter magnam arenarum copiam, quam Tanais ac alii fluvii in eam decurſu ſuo provolvunt. Idem

quoque

quoque de Mari majore judicat. Sed neque in hoc neque in illa evidens aliqua apparet mutatio; quamvis Mæotis in hodiernum uſque diem nulla majora admittat navigia; neque ante Mithridatem, neque etiam poſtea ſcitur ulla eam bellica navigia ingreſſa eſſe. Verum non tantum palus Mæotis, ſed etiam ipſum mare Nigrum tam difficilis ac periculoſæ putabatur navigationis, ut præter titulum quo Euxinus aut Axenus, hoc eſt, Inhoſpitalis dicebatur pontus & innavigabilis, veteres etiam pro miraculo habuerint Iaſonis in Colchidem, qua tam breve confecit iter, è Peloponneſo videlicet uſque ad Phaſin navigationem, quæ cum noſtri temporis audacibus navigationibus collata, ludus aut fabula videbitur. Et ſi Argon navem in cœlum tranſtulerunt veteres, quid Victoriæ navi facient, quæ totam mundi circuivit machinam; & illis quibus Draco Anglus itidem totum in circuitu mundum perluſtravit?

IV.

MARTINI BRONIOVII de Biezdzfedea, ad Tartarum Legati, Tartaria.

Campi Sauramenses & Oczacovienses, qui inter Bogum & Neustrum fluvios siti sunt.

BRatislavia seu Braslavia oppidum in extremitate Podoliæ, quod etiamsi cum arce satis obscurum & humile sit, verum incolas quingentos, & amplius sclopetarios optimos, ac cum Scythis crebris levioribusque præliis bene versatos ac exercitatos, præsidii quasi loco perpetuo habet. Illi in Campis ductores viarum peritissimi sunt, à Tartaris ac Kozacis, qui in campis perpetuo vagantur, prælia & pericula, si eis comitatu impares sunt, evitare probe norunt. Ex Bratislavia non admodum dēsis sylvis, milliaribus aliquot ad Silnicam rivulum, in quo loco Bratislaviēses propter Perecopiensium, Oczacoviēsium & Bialogrodensium Tartarorum incursus, Valachorumq;, perpetuas agunt excubias. Bogo vel Hipani fluvio, penes Oczacoviam usq; itur: proinde ad Treste-

netium,

netium, Berſadum, Olſancam, Sauranam, (unde campi Sauranenſes dicuntur,) rivulos, Oniſſionis cujuſdam ignobilis Ruſci alvearium, in quo altiſſimæ quercinæ arbores apparent. Demum in Bogo pons lapideus & balneum, quod Vitoldi magni ducis celeberrimi ac bellicoſiſſimi Principis Lituaniæ quondam fuiſſe perhibetur, ruinæ lapideæ, teſtudines & ſepulchra, quæ Turcica vel Tartarica fuiſſe dicuntur, ac vulgo Ceſſennia, quaſi monumenta appellantur, viſuntur. Codemã Romani cujuſpiam Ruſci idiomate DolniamHorofoſſam Horodiſſe vel territorium ruinoſum lapideum, quod illi Pritolce ſeu propugnaculum nominant, ac ibi Sinavvoda, quaſi cæruleus rivulus, vulgo ita dictus, Bogum influit. Probite vel porta potius inacceſſibilis, natura loci ita facta inſula ſaxoſa in Bogo, à ripa utraque montoſa, quam fluvius undique circumluit, eaque ſatis ampla locique natura munitiſſima eſt, quæ noſtris hominibus à Tartaris & Valachis receptui tutiſſima eſt, homineſque plurimos illa capit. Præſertim vero Bratiſlavienſibus annis ſingulis in ea menſibus aliquot piſcantibus prȩſidii quaſi loco eſt, ac in ea ducenti vel paulo mi-

noris

Google

noris comitatus ſclopetarii in aprili & majo ac junio menſibus, in aliiſque in Bogo inſulis, quibus ille plurimum abundat, multi admodum ſemper reperiuntur. Cermencucum, lapideam ruinam ad Bogum ſitam; Certelnam minorem, amnem luciorum, (nam luciorum ferax eſt,) appellant Pieſcanibrod, ſeu Arenoſum vadum, quem cum in confines Podoliç veniunt Tartari tranſeunt. *In* Bogo fluvio apparet Cercieceſſeniam *Turcæ*; Getriceſſenia vulgo dicitur: *illa cujuſdam Tartari vel Turcæ locupletioris mercatoris* ſepultura fuiſſe perhibetur; ac ex lapide cæſo & polito, ac ſumptuoſo opere in Mahometicum cultum facta erectaque, nunc etiam à viatoribus conſpicitur. Certelnam majorem, rivum Capcacleium ad arcẽ collapſam ſeu ruinoſam. Ac ibi Capcacleius fluuius Bogum influit, plurimoſque lacus habet: Hãcrocricum, ſeu, ut Tartari, Chamrivum eum vocant; nam locus ille ſaxoſus eſt, & rivis limpidiſſimis abundat: Berezaniam lacũ cannoſum, qui ex adverſo Oczacoviæ, mari Euxino vel Pontico & Boryſtenis ſeu Nepri fluvii in mare ſeſe eo exonerantis meatibus proximus eſt, & alluitur. Ille campus quinquaginta vel

vel amplius milliaribus bene emenſis, ſex vel ſeptum dierum vel diætarum, ut illi computant, expedito viatori iter acceleranti Bratislavia Oczacoviam uſque conſtat. Feras, biſontes, alces, equos, cervos, arietes, qui unicum tantum cornu habent, capros, apros, urſos campeſtres habet: Etſi à decennio, vel paulo amplius, hiemis aſperitate, niviumque magnitudine, fame ac ſiti plurimæ admodum enecatæ fuiſſe dicuntur, earumque in campis ingentes oſſium acervi reperiuntur. Tum etiam ovium, boum ac equorum Turcicorum, & Tartarorum greges innumerabiles, qui ibi perpetuo paſcebantur per Ruſciæ, Volſiniæ, Kioviæ, Podoliæ & Moldaviæ finitima, eoſque prorſus licentioſos homines, non ita pridem penitus deleti ſunt. Cozles ſeu tumuli, vulgo Mogilii dicti, altiſſimi, maximi & frequentiſſimi, maximorum ac cruentiſſimorum, ut plurimi aſſerunt, ac veriſimile rationique conſonum videtur, quondam bellorum certiſſima ſigna, ſeu illuſtrium virorum ſepulturæ, conſpiciuntur. Ille campus ſolo fertiliſſimus eſt; plurima loca ad colendum inhabitandumq; commoda, aptiſſima, amœniſſimaque habet: gra-

mina & herbas natura & amœnitate loci odoriferas, præsentissimasque ad pascendos infinitos jumentorum vel animalium greges profert. Ad confluentem Bogi plurimis in locis montuosus, quoad vero ex parte sylvestris. verum in patenti ad Nestrum vel Tyram fluvium, Moldaviæ Vionium, planissimus omninoque campestris est, majorique ex parte lignis caret.

Moldaviæ seu Valachiæ inferioris pars, quæ olim Bessarabia dicta fuit.

EX confinibus autem Podoliæ, Moldaviæ, seu Valachiæ vicinis, Camenetiam, Chotimum, Sorocham, vel Olehioniam, versus Palatini Moldaviæ oppida & arces ad Nestrum sitas pervenitur. Proinde Pruto sive Hieraso Moldaviæ fluvio trajecto Stepanovetiam, vel Iassi primarium Valachiæ oppidum, vel rectius ad Prutum Techniam oppidum, & arcem Turcicam, non ita pridem ad Confluentem Nestri munitam, ac ibi Techinienses vel Moldavici in Nestro trajectus aliquot recta in campos reperiuntur. Vetinens vero per lacum Vidovo seu Obidovo ducitur, quem quidam ab Ovidio nuncupatum fabulose fortassis autumant, qui latissimus

mus eſt, & in Pontum Euxinum in eo loco exoneratur, eumque ex adverſo Bialogrodi. A veteribus Moncaſtrum ea arx & civitas dicebatur. quæ non ita pridem à multis annis Valachorum ſeu Moldavorum Regulis à Turcis erepta & poſſeſſa eſt. Tyras influit. In ipſo Tyræ ſeu Neſtri oſtio turris lapidea exiſtit, quam Neoptolemi & vicum Hermonactis, ac in utraque Tyræ ripam civitates duas conditas, Niconiam in dextra, à læva vero Ophiuſam, nominatas eſſe ex Aſtrabone liquet. Ex adverſo itaque Majaci trajectus ille Bialogrodo navibus in campum Bialogrodenſem, & Oczacovienſem ſuperatur. Militem quendam Majacum ibi fuiſſe fabulantur; ac in eo loco Neſtro trajecto in ripa lapidei parietes ruinoſi, & quaſi quædam ruinæ apparent; eam ruinam Turrim Neoptolemi fuiſſe Strabo refert.

Campi Bialogrodenſes & Oczacovienſes. Qui inter Tyram & Boryſthenem fluvios, ac ad mare Euxinum ſunt.

DEmum vero Beribonium Turcæ; alias Licaſtemum Colum lupinum appellant. locus ille foſſas altiſſimas & ampliſſimas mari vicinas, lacus &

rivos amœniſſimos habet. Cacibici Horodiſæ, quaſi territorium collapſum, quem lacus ampliſſimus ad Confluentem Neſtri mari vicinus alluit, ac ibi portus non ignobilis quondam ſecundo Neſtro extitiſſe memoratur. Adzigoli ille locus tres foſſas celebres, lacus amaros & ſalſos quam plurimos mari proximos habet, ibique magna vis Kozakorum perpetuo confluit, mutuiſque bellis & cædibus frequentiſſimis concidunt. Idcirco ille locus viatoribus adeo terrori eſt, ut in eo non ſolum per noctem quieſcere, verum ne pabulari quidem ſatis ſecure habeant. Nam non raro accidere ſolet, ut quod ſi non Koſacones ipſi, cadavera tamen hominum ibi ſæpe reperiantur. Domnina Dolnia ſeu foſſa, quæ maxima & ampliſſima lacubus & rivulis limpidiſſimis frequens eſt, Berezani lacu anguſtiſsimo, verum profundiſſimo, ac ibi in ſinum Carcinitum & mare Ponticum ſeſe exonerantis trajectu ſuperato, Oczacoviam pervenitur. Berezaniam lacum, & Carcinitum ſinum, Tamiraci & Carpanei ſinum ſeu lacum fortaſſe nuncupatum eſſe Straboni placet. Ab oſtio Tyræ fluminis inſulam Leucam intra pelagus eductã intervallo quingento-

gentorum ſtadiorum diſtare,ac Achilli ſacram nuncupatam eſſe Strabo aſſerit, quæ in eo Berezani lacus trajectu optime à viatoribus conſpicitur. Boryſthenem fluvium ad ſtadia ſexaginta inde diſtare, & amnem Hypanim ſeu Bogum ei vicinum eſſe, ac inde oſtium Boryſthenis inſulam quandam exiſtere, in qua portus quondam fuit, idem Strabo memorat.

Oczacovia arx & oppidum.

OCzacovia, quæ Olbia.Olbis & Beriſthenes Olbiopolis, quaſi beata civitas, à Ptolemæo & Plinio dicitur, ad Boryſthenem Carcinitum fluvium ſeu ſinum ſita eſt, ac in eum ſinum mari Euxino vicinum Boryſthenes ibidem exoneratur.quam à Miletiis conditam eſſe, & amplum emporium habuiſſe Strabo refert. Arx lapidea, nec bene tum munita, oppidum ignobile Turcarũ ditionis eſt. Boryſthenes ſeu Neprus altiſſimus, rapidiſſimus & latiſſimus fluvius, qui à ſeptentrione labitur, in Carcinitum ſinum ſeu fluvium ac Pontum Euxinum penes Oczacoviam influit. Supra Oczacoviam vero milliaribus quatuor Hypanis ſeu Bogus fluvius in Boryſthenem exoneratur. Ad Oczacoviam vero per Bo-

ryſthenem & ſinum Carcinitum ſtadiis ducentis (ut vult Strabo) trajectus latiſſimus, & navibus majoribus ac minoribus in Iſthmum ibi ſuperatur. In eo trajectu & tranſitu à peregrinis & mercatoribus vectigal perpetuum Imperatori Turcarum ſolvitur.

Iſthmus, qui inter Pontum Euxinum & Boryſthenem eſt.

CONtinens, ſeu Iſthmos ab antiquis ita dictus, inter Pontum & Boryſthenem anguſtiſſimus unius diei itineris ſpatio, admodum arenoſus, collibus, lacubus, paludinoſis ſalis fodinis. ac ibi per Boryſthenem ſal deportatur. arbores etiam humiles virgultis parvis in ſertas habet. Cervis, urſis, capris, & apris campeſtribus frequens admodum eſt.

Tartarica tuguria, & manendi illorum in campis modus.

ISte continens agris, pratis, tuguriis Tartaricis, quæ vulgo *ulnſi* à Barbaris nominantur, ac ut pagi ex tenuiſſimis lignis, limo vel cœno ſtercoribusque pecorum ſeu animalium obliti, facti, & arundine tecti ſunt, Perecopiam uſque milliaribus amplius triginta

Digitized by Google

ginta extenditur , rivisque abundat. Verum æſtate & in autumno Tartari in eis tuguriis non degunt . nam in aprili cum uxoribus , liberis , familia, mancipiis ac domibus , quæ rotundæ penulis obſitæ quatuor vel quinque hominibus ad degendum vix commodæ ſunt , & in carris rotis duabus ſuſtentatis , camelis duobus , vel uno, vel bobus, itidem cum familia & ſupellectili vehuntur. Camelos , equos, pecora, & oves, innumerabiles greges ſecum ducunt , alios vero commodioribus in paſcuis relinquunt. Perecopiam vero inter Boryſthenem & mare Euxinum , vel extra Perecopiam non raro in Tauricam ipſam, vel ex adverſo Perecopiæ Oſſovum ſeu Azaphum (ut Turcæ vocant) oppidum ad Confluentem Tanais vel Doni, rapidiſſimum & maximum fluvium, à veteribus quondam Græcis , proinde Genuenſibus Italis, cum arce munitum, ac non ſolum ibi præſidio firmiſſimo Imperatoris Turcarum , verum etiam ejus loci Præfecto impoſito, à Turcis habitatum, erectum contendunt. In Iſthmum ſeu campos planiſſimos , & maximos eos, qui inter Boryſthenem ac Mæotim paludem ac mare Ponticum ſunt , ac in peninſulam ipſam de

loco in locum ad paſcua commodiora ſemper progrediuntur & migrant. Verum in octobre frigoribus, imbribus ventiſque perpetuis ſævientibus ad tuguria ea rurſus redeunt. In primis enim à Kozacis Nizoviis noſtris hominibus, quod ſecundo fluvio in cymbis ibi vagantur inde nuncupatis, ac iis ſclopetariis qui æſtate & autumno in Boryſthene in cymbis majoribus & minoribus perpetuo vagantur, ſubitaſque & damnoſas in eos incurſiones faciunt, magnopere ſibi metuunt. Attamen frugibus & graminibus collectis Boryſthene glacie concreto cum familia propriiſque animantium gregibus commodius per hyemem ſtativa ſua habere ſolent. Iſthmum illum Zenonis Cherſoneſum Ptolomæus vocat. Et Strabo ad telluris magnæ Cherſoneſi eum adhærentem, Roxanos ſcribit & Roxolanos, quos nos Ruſſos ſeu Rutenos nunc dicimus. in campis illis inter Tanaim & Boryſthenem paſcua herboſa ſemper ſectatos memorat, ac adverſus Mithridatis Lupatoris ductores Taſſium, Palacum, & Selurum ſocios belligeraſſe. & cum pugnaciſſimi judicarentur, Barbara (inquit Strabo) natio omnis infirma prorſus apparuit, & quinquaginta milli-

millibus adverſus ſexaginta millia militariter acie inſtructa, ductu & auſpicio Diophantis ducis Mithridatici, reſiſtere ac ſufferre impetum non valentes, maxima ex parte trucidati ſunt. Galeis, thoracibus, & ſcutis ex crudis boum corrigiis eos uſos fuiſſe, ad percutiendumque lanceas, arcus & gladios habuiſſe ſcribunt. Tentoriis centonum inſtar pilo contextis utebantur: in plauſtris vitam degebant, & circum tentoria pecora comitabantur, à quibus victum capiebant. Lacte, caſeo, & carne veſcebantur. Tartari illi etiam eadem ratione fere vitam degunt, agros tamen non paucos illi nunc habent & colunt, herbas etiam non raro colligunt.

Taurica Cherſoneſus, antiquis minor Tartaria, Barbaris Gadzaria, Perecopia arx & oppidum.

PErecopia, à veteribus Græci Eupatoria, Pompeiopolis, ſacer lucus, Dromon vel Curſus Achillis, ſeu Græcida, Heracleum vel Heraclea appellata, in confinibus Tauricæ, ſeu Scythicæ Cherſoneſi, vel peninſulæ dictæ, primum oppidum obſcurum, & parvum, arx lapidea, nec ſatis munita eſt, in qua Principes Tartarorum vel Cha-

ni, ut Tartari eos vocant, quaſi Reguli ſeu ſupremi domini Palatinum, quem illi Begum ſeu Perecopenſem omnium vocitant, perpetuum habent, qui Boryſthenis & Tanais ſeu Doni fluviorum tranſitus & trajectus, & confines univerſos vigilantiſſime perpetuoque obſervat, ac univerſis Tartaris iis, qui in campis ad Perecopiam & ultra Perecopiam ſitis degunt, præeſt. Illud oppidum una cum arce ipſa, ut ex ruinis videre licet, à priſcis & antiquis peninſulæ Tauricæ quondam vel Boſporanis Regibus ſive Imperatoribus Græcis in anguſtiſſimo continente, eo quem una ex parte à ſeptentrione palus Mæotis, (Putrem lacum eum Strabo nominat,) altera vero mare Ponticum à meridie alluit & cingit, univerſamque peninſulam ambit, excitatum eſt. Et quoniam ibi per univerſum, ut Strabo iſthmum dicit, qui inter paludem & mare dimidii milliaris tantum ſpatio fere continetur, foſſa profundiſſima & lata facta; oppidum foſſæ appellationẽ ſortitum eſt, quam in hodiernum uſque diem à Tartaris ac ipſis pariter Turcis ſermone illorum retinet. Lacum à mari ſeparatum eſſe ſtadiis ſexaginta, Putrem ſeu lacum ipſum ſtadiis quatuor millibus,

bus,

bus , Tauricæ vero ſeu peninſulæ iſthmum trecentis & ſexaginta ſtadiis contineri Strabo refert. Enimvero Sachibgiereio Chano Tartaro in peninſula imperante, qui Tartaros Noagienſes pro imperio bellum illi facientes, inſigni ac memorabili ſtrage ad Perecopiam proſtraverat, deviceratque, turres lapideæ XVII in ea foſſa excitatæ fuere, foſſaque altius reparata. Proinde vero in ſignum memorabilis victoriæ cruentiſſimiq; belli, nonnullæ turres ex capitibus cæſorum ibidem factæ fuiſſe à Tartaris perhibentur. Cum itaque in peninſulam in eo anguſtiſſimo loco unicus tantum ille transitus pateat, Tartari perpetuas excubias Perecopiæ agunt; neminem peregrinum, qui in peninſulam venerit, ſine literis Chani inde redeuntem tranſire permittunt. Denique cum in bellum deſcendere Chanus cogitaverit, vel aliquod periculum aut bellum Tartaris imminet, univerſi Perecopiam frequentiſſimi ſemper conveniunt.

Coſſovia arx & oppidum.

COſſovia oppidum ad dextram Perecopię ad mare ſitum milliaribus ſeptem diſtat. Emporio non ignobili præ-

præfectum arcis & oppidi Chanus proprium & perpetuum ibi habet.

Ingermenum arx & oppidum.

INgermenum milliaribus XII vel amplius à Coſſlovia diſtat. arcem lapideam, templum, & ſpecus ſub arce & ex adverſo arcis miro opere ex petra exciſos, habet; nam in monte maximo & altiſſimo ſita eſt, ac inde à ſpecubus à Turcis cognomen retinet. Oppidum quondam non ignobile, opibus refertum, celeberrimum, & natura loci maxime admirandum, copioſiſſimumque extitit. Ex adverſo oppidi promontorium extēditur in latitudinem ſtadiorum aliquot ſpatio, in longitudinem vero III vel IV milliaribus oris anguſtiſſimis Euxino mari medius eſt. Portus tres habet illos: Pactorum, à quo alter efficitur portus (Ctenuntem Strabo vocat.) ad quos naves multæ commode accedere, & à tempeſtate fluctibuſque maris in locis iis tute conſiſtere poſſunt. In ea anguſtia Taurorum nationem Scythicam latronum manus conſtituiſſe, ac impetum in eos, qui eo divertiſſent, feciſſe Strabo memoriæ prodidit. In montibus ſaxoſis, qui ibi ſunt maximi & admirandi, veſtigia certa apparent, quod antiquiſſimi

mi populi Græci lapides grandes ibi excidebant; navibuſque ea anguſtia oris deportatos Corſonum ſeu Cherſonam Peninſulę urbem ea tempeſtate clariſſimam & antiquiſſimam ex illis extruxiſſe, nunc etiam à Græcis Chriſtianis dicuntur. Heraclienſes Ponti accolas coloniam eo deduxiſſe, ac urbem Cherſoneſum ibi appellatam eſſe, ac à Tyra fluvio ſtadiis IV millibus & CCCC curſu maris emetiendo eam diſtare Strabo meminit. Ingermeni arcem ſatis & magnificam à Principibus Græcis extructam fuiſſe apparet: nam portæ & ædificia adhuc nonnulla integra Græcis characteribus exornata, & cum inſignibus eorum inſculpta conſpiciuntur. Ac per univerſum illum iſthmum quondam ibi uſque ad urbis mænia ædificia ſumptuoſa extitiſſe, puteos excavatos infinitos, qui adhuc fere plurimi ſunt integri; ad extremum vero duas viasRegias grandes lapidibus ſtratas eſſe,certo apparet. In eo iſthmo pomaria, horti, vineæ plurimæ & optimę,à Gręcis quondam cultæ, (Belbecũ nunc etiam appellantur,) quas Chriſtiani Græci vel Itali & Iudæi, paucique Turcæ nunc poſſident, in loco eodem viſuntur. Ex Ingermeno Corſunum terreſtri itinere eundo

eundo eſt iſthmus inter oris anguſti portum, & mare Euxinum, quem ſtadiis ſexaginta conſtare, & parvam Cherſoneſum appellatum eſſe, ac portionem magnæ Cherſoneſi occludere Strabo deſcribit. Eſt ille iſthmus ad lævam & lacus marisEuxini planiſſimus, & ſolo fertiliſſimus: ad dexteram vero portus oris anguſti, habet quidem agrum ſatis uberem, montibus tamen & collibus, in quibus vineæ & pomaria infinita erant, ſeptus eſt. Incolis & pagis ad urbis ipſius mœnia caret, & in vaſtitatem prorſus redactus eſt; tamen greges infiniti ovium, pecorum & animalium propter nimiam ſoli herbarum ubertatem à Turcis ibi perpetuo paſcuntur. Ex ædificiis illis ruinoſis, quæ ibi conſpiciuntur, animalibus illis per ſingulas turmas domini proprii Turcæ vel Tartari caulas maximas conficiunt & ſepiunt.

Cherſoneſus ſeu Corſunum urbs Tauricæ antiquiſsima.

CHerſoneſum ſeu Cherroneſum, Corſunum, vel Cherſonam, Sari Germenum, quaſi flavam arcem, Turcæ urbem eam vocarunt: nam ſolum quaſi flavum ille tractus habet. Quæ quod ſuperba, dives, delicata & clara quon-

quondam Græcæ gentis colonia fuerit, univerſæque peninſulæ urbs antiquiſſima, frequens, magnifica, portuque nobiliſſima extiterit, admirandæ ruinæ illius manifeſte teſtantur. In extremitate iſthmi illius, quem parvam CherroneſumStrabo vocat, & in oſtio ipſo portus oris anguſti, ac per univerſum iſthmũ ſicut latitudo ripæ utriuſque maris eſt, urbs murum altiſſimum & magnum turreſque plurimas & maximas ex ſecto & grandi lapide erectas nunc etiam habet, ac tota mari expoſita exiſtit. Aquarum ductus, qui milliaribus quatuor cuniculis ex petris exciſis in urbe ducebantur, in quibus nunc etiam aqua puriſſima eſt, ad urbis ipſius mœnia conſpiciuntur. Eſt in eo loco unde rivulus ille delabitur pagus quidam non ignobilis, & non procul in ripa maris, in monte ſaxoſo, Græcum monaſterium. Sancti Georgii ſolemne, anniverſaria devotio Græcis Chriſtianis qui nunc in Taurica ſunt reliqui, in magna frequentia ibi fieri ſolet. Vrbs illa à multis non ſolum annis, verum ſæculis, & hominibus & habitatoribus prorſus vacua, funditus diruta ac in vaſtitatem redacta eſt. Muri & turres integræ adhuc & miro opere ſumptuoſe factæ conſpiciuntur.

Prin-

d by Google

Principum Regia vel domus in eâ iſthmi parte, & urbis mœnibus, turribus, & portis magnificis exiſtit. Verum à Turcis inſignes columnæ marmoreæ & ſerpentinæ, quarum intus adhuc loca apparent, & grandiores lapides, ſpoliatæ & per mare ad ſedes eorum in ædificia publica & privata deportatæ ſunt. Idcirco ad majorem ruinam ea urbs pervenit: non ædium & templorum ne veſtigia quidem in ea viſuntur. Vrbis ædificia humi proſtrata & ſolo æquata ſunt. Monaſterium Græcum maximum in urbe eſt reliquum; parietes templi apparent quidem, ſed teſtitudinem non habent, & ornamenta ædificii ejus, quæ ibi erant inſignia, diruta & ſpoliata ſunt. Ex illo monaſterio duas portas æris Corinthii, quas Græcorũ preſbyteri Regias portas vocant, & imagines inſigniores, Græcos aliquos ad Volodimirum magnum Ruſſorum ſeu Kiovienſium Principem ea tempeſtate prædæ loco Kioviam deportaviſſe, poſtmodum vero à Boleſlao ſecundo rege Poloniæ Kiovia Gneſnam prædæ itidem loco, quæ in templi maximi porta nunc etiam ibi viſuntur, delatas eſſe, Ruſſorũ & Polonorum annales memoriæ prodidere; Volodimirum Principem

Ioanni

Ioanni Zomiſcæ Conſtantinopolitano Imperatori eam urbem quondam eripuiſſe; verum Baſilii & Conſtantini Imperatorum Anna ſorore in matrimonio ducta, & ſacro fonte ritus Græci in eodem monaſterio à Patriarcha quodam initiato, reſtituiſſe. Quod & in hodiernum uſque diem in locis iiſdem à Chriſtianis Græcis, quorum obſcuræ & parvæ admodum reliquiæ ſuperſunt, prædicatur. Ante urbem promontorium exiſtere, & Parthenium, id eſt, virgineum appellatum eſſe, Deæque illius ædem ac ſtatuam habere. Ac eam urbem liberam fuiſſe, propriisque legibus vixiſſe; verum à Barbaris direptam, eoque neceſſitatis deductam eſſe, Eupatore Mithridate præſule ſibi delecto adverſus Barbaros bellum geſſiſſe, & tanta ſpe erectum exercitum in Cherſoneſum miſiſſe, ut & Scythis pariter Strabone teſte intulerit, & Sciluri liberos quinquaginta (ut Poſſidonus ſcribit) captivos habuerit, & à Periſade præfecto loci ditione acceptaBoſpho potitus ſit: Ac inde ex eo tempore in hunc uſque diem Cherſoneſitarum civitatem Boſporanis Regulis ſubjectam fuiſſe olim idem Strabo aſſerit.

Iamboli, ſeu Balacheu…
& civitas.

IAmboldum ſeu Iamboli
lacheium, quaſi piſcium
civitatem eam (nam in eo
piſcibus ferax eſt) Turcæ di
altiſſimo magno & ſaxoſo
Italis Genuenſibus munita
ta fuit: ſuperbis enim & p
inter ſe convenientibus
Græcorum, qui tunc eam p
ticæ tenebant, Ducibus ign
ne aliquo eorum præſidio
pta fuit. In ea civitate co
te loci naturalis Genuenſ
tum celebrem, ac utilem,
mum ſumptuoſiſſimumq;
culum, excitavere. Eſt ibi
maris anguſti penes civitat
promontorium non exigu
ſtans, qui portum non ign
fecit, ut ex mari magno
paucæ ibi tuto deſcendere
re poſſint. Arces, ædes, m
æes ſumptuoſæ cum plurin
ſium inſigniis & titulis pr
mnino dirutæ jacent. C
paucis Græcis, Iudæis & T
tur, à paucioribus itidẽ n
& peregrinis per mare fre

Digitized by Google

Mancopia ſeu Mangutum, ut Turcæ vocant, arx & oppidum.

